

## L'ARS PRAEDICANDI DE FRANCESC EIXIMENIS

Descobrirem temps enrera aquesta obreta eiximeniana, completament ignorada dels bibliògrafs, en un manuscrit de la Biblioteca Jagellon de Cracòvia<sup>1</sup>. Posteriorment, gràcies als treballs d'Harry Caplan<sup>2</sup>, hem sabut l'existència d'altres dues còpies, també del s. xv, a la Universitat de Budapest (n. 73) i al Vaticà (Ottob. lat. 396). Hem disposat de fotocòpies d'aquests dos mss. en publicar el text de l'*Ars praedicandi* segons l'exemplar de Cracòvia. Per elles hem pogut esmenar no pocs passatges confusos i incorrectes del nostre ms. bàsic, així com emplenar no poques llacunes que hom endevinava a la simple lectura del mateix. De les dues còpies darrerament descobertes, la de Roma és la més passable. Tot i ésser generalment més correcta, no està exempta, però, d'omissions i llacunes, fruit de la inatenció del copista. El text de Budapest és manifestament germà del de Cracòvia.

Ens considerem rellevats de repetir ací la descripció, que donarem ja, del ms. de Cracòvia, en anunciar-ne la troballa. Del de Budapest, miscel·lani i de poc interès, en publicà una suficient notícia descriptiva J. Csontosí l'any 1879<sup>3</sup>; la nostra *Ars praedicandi*, anònima, es troba als ff. 109<sup>a</sup>-114<sup>b</sup> sota l'epígraf *Modus praedicandi*. Quant al ms. Ottobonià, procedent de la llibreria del Duc d'Aeltemp, per la seva importància per a nosaltres, en donarem ací una ampla ressenya que ens ha facilitat amablement el doctíssim *Scriptor* de la Vaticana Mons. A. Pelzer, el qual regrekiem públicament de tot cor. La descripció és com segueix:

<sup>1</sup> Vegeu «Estudis Franciscans», t. 36(1925)450-452.

<sup>2</sup> HARRY CAPLAN, *Medieval Artes praedicandi* (Cornell Studies in Classical Philology, vol. 24), Ithaca-New York, 1934, n. 84, p. 16; *Medieval Artes praedicandi. A suppl. Hand-List* (Cornell Studies ... vol. 25), Ithaca-New York, 1936, n. 84, pp. 12-13.

<sup>3</sup> «Magyar Könyv-Szeule» 1879, pp. 69-83.

Roma, Ottob. lat. 396, s. xv inc., 72 ff. pap.-perg. de 22 per 15 cm. Escrit a ratlla tirada per diverses mans. Epígrafs en atzur i vermelló i en general sense caplletrar.

Conté: 1 (ff. 2r-13v) *Tractatus de sensibus sacre scripture editus a fratre philipo riboti magistro in sacra pagina ordinis fratrum beate marie de monte carmeli*: "Reuerendo in christo... domino bertrando de monte rotundo archidiacono bisuldunensi ecclesie Gerundensis, frater philipus riboti... "Sacra scriptura pulcre..." Comença el text: "Sacra Scriptura sicut se extrinsece..." i acaba: "...breviter sufficiant"<sup>4</sup>.

2 (ff. 14r-29v). [Joh. de Villanova sive Cabilonis] *Ars brevis ad faciendum sermones secundum formam syllogisticam*: "Hec est ars brevis et clara ad faciendum..." Acaba: "...Cuius regnum permanet per infinita secula seculorum Amen"<sup>5</sup>.

3 (ff. 29v-44r) (FRANCISCI EIXIMENIS ARS PRAEDICANDI). (En el ms.: *Incipit opus quoddam in quo agitur de fine Christi doctrine et predicacionis iuxta processum causarum*): "Jesus Christus tocius nature humane pastor..." Acaba: "...dicta sufficiant. Explicit Ars predicandi".

4 (ff. 44v-50v). *Raymundi Lulli Ars abbreviata predicacionis*: "Cum hec sit maior Ars predicacionis que sic intitulata est et in qua sunt .cxxxvi. sermones... idcirco hanc componimus Artem abbreviatam in qua implicatur maior Ars." En cinc distincions. Acaba: "...scire animo affectante Raymundus qui insuper Lulius vocatur... patravit librum mense febroarii vocato... anno incarnationis Ihesu Christi mcccxi in mense february"<sup>6</sup>.

5 (ff. 51r-59v). (Tractatus de arte praedicandi): In isto libello continentur quatuor capitula in quorum primo ponuntur..." Acaba: "...fecerit mencionem, ipsis honor et gloria per infinita seculorum secula amen"<sup>7</sup>.

6 (ff. 59v-61r). (*Joh. de Rupella Ars conficiendi sermones*): "Cum plures sint modi predicandi..." Incomplet. Acaba: "...primum modum vel 3um vel"<sup>8</sup>.

7 (ff. 62r-69v). *Raymundi Lulli liber de ente simpliciter absoluto*: "Deus, cum tua virtute et benedictione incipit...: Ens simpliciter absolutum..." Acaba: "...simpliciter sint facti. Ad laudem et honorem dei finivit Raymundus istum librum in civitate Vienne dum ibidem erat consilium generale mense marci anno millesimo cccxi incarnationis domini nostri Ihesu Christi"<sup>9</sup>.

8 (ff. 69r). (*Sermó català sobre la Verge*): "Respectable e devotíssim auditori: Conformar me vull ab les paraules..." Acaba: "...dient li humilment e pia: Ave Maria".

<sup>4</sup> Joan de Châlons, contemporani del nostre menoret, pertanyia a l'Orde del Cister. Vegeu *Hist. litt. de la France*, t. 34(1914)219. Harry Caplan (*o. c.*, n. 52) n'assenyala 7 mss.

<sup>5</sup> Vegeu P. B. M.<sup>a</sup> XIBERTA, O. C., en «Anal. Ord. Carm.» VI, 468-472.

<sup>6</sup> *Hist. Litt. de la France*, t. 29, 1885, n. 248, p. 339; J. AVINYÓ, *Les obres autèntiques del Beat Ramon Llull*. Barcelona, 1935, p. 273. Harry Caplan n'omés l'esmenta en el pròleg de la seva obra.

<sup>7</sup> Atribuït adés a Fra Joan de Galles O. M., adés a Tomàs de Waleis. Impres com anònim. Vegeu HARRY CAPLAN (*o. c.*, n. 62, p. 13-14) el qual n'assenyala una dotzena de mss.

<sup>8</sup> HARRY CAPLAN *o. c.*, n. 31, p. 10.

<sup>9</sup> Vegeu *Les obres autèntiques del Beat Ramon Llull*, p. 265.

L'autenticitat de la nostra *Ars praedicandi* quedà a bastament provada en el treball de conjunt que dedicàrem l'any 1928 al gran polígraf gironí<sup>10</sup>. Ella vingué a ésser el pròleg dels tres volums de sermons llatins que deixà en morir al seu convent de Girona, la pèrdua dels quals avui hem de lamentar<sup>11</sup>. Ells serien segurament, donades les dots de narrador àgil i sagaç observador que posseïa el gran escriptor franciscà, d'un valor inapreciable per a l'estudi del medi social de la nostra Pàtria en aquells temps reculats.

En la nostra edició, com hem dit, seguim el ms. cracovià (=A), suplert o esmenat sovint per l'Ottobonià (=B) i poques vegades pel de Budapest (=C). No sempre indiquem els manlleus i transposicions que fem, per no demanar-ho la importància literària del text i per no fer carregosa la seva impressió. N'assenyalem, només, els més importants, i curem de verificar, sempre que podem, les citacions bíblico-patrístiques de l'autor. El que importa, creiem, ara com ara — ja que cap dels mss. de què disposem no és perfecte i mentre esperem que algun sortós escorcollador d'arxius ens trobi els tres volums esmentats suara — és posar en circulació aquesta única relíquia que ens resta de l'obra oratòria d'Eiximenis, l'*Ars praedicandi*, que anem a llegir per primera vegada.

<sup>10</sup> *Fra Francesc Eiximenis O M (1340?-1400?)* «Estudis Franciscans», vol. 40 (1928), 437-500.

<sup>11</sup> Vegeu «Archivo Ibero-Americano» t. II, 1914, 231 i any 1929, p. 86.

Incipit *ARS PREDICANDI POPULO* edita a reuerendo magistro Francisco Echimenis, ordinis minorum, conuentus Gerunde, prouincie Barchinone etc.

### Sequitur Prologus

Jhesus Christus, tocius nature pastor et pater ac frater dulcissimus, ad hoc inter alia dignatus est ad nostra despicabilia descendisse hospicia, ut eterne predestinacionis filios uigore sui efficacissimi meriti et predicacionis uirtuosissime ac doctrine sacratissime ad unitatem illam celsitudinis duceret diuinissime ciuitatis. Et licet tam eius reuerendissima merita quam preces preclarissime ineffabilis sint preconii et uirtutis, de eius tamen predicta doctrina altissima que toti mundo lumen uerum extitit et lucerna, est in hoc opusculo simpliciter pertractandum ad gloriam et elucidacionem sue adorande maiestatis et ad utilitatem animarum, pro quarum salute idem fons sapiencie ipsam uelud phison in terra nostre peregrinacionis effudit latissime ad lucrum aliquod salutiferum mei, rudis et pauperuli scriptoris. Inuocato igitur primitus et principaliter eius sacro auxilio, in processu huius opusculi in dicendis sic procedam: et primo, iuxta causarum processum agetur de fine Christi doctrine et predicacionis eximie; secundo, de causa efficiente, scilicet de ipso predicante qualis debet esse in se; tercio, de forma et modo quam seruare debet; quarto, de materia predicanda que est Christi doctrina egregia supratacta etc. Post prohemium, incipit tractatus huius artis.

Capitulum primum: De causa finali predicacionis etc.

Circa finem predicacionis, quod est primum discuciendum, breuiter edocere uolo quod principalis finis omnium est gloria Dei, laus et honor, iuxta illud *Prouerbiorum* .xvi<sup>o</sup>: *Omnia propter semetipsum fecit Dominus*. Hinc est quod predicatorum uerbi Dei in sua predicacione summe debent attendere ad hoc quod gentes instruant prudenter et non multum alte loquendo ad Dei excellenciam eis explicando quoniam Deus est bonus, sapiens, dulcis, benignus, pius, iustus, uerax, omnia uidens, omnia clare sciens et sic de aliis perfeccionibus diuinis, ut ex hoc moueatur populus ad Deum plus honorandum, timendum, laudandum et amandum. Hoc enim summe debet esse semper intentum a predicante, ut per ea que predicat, populus incendatur et

informetur ad predicta. Et sic predicanti promittit Deus premium eternum, ipso dicente *Ecclesiastici* ii°: *Qui me elucidant, uitam aeternam habebunt.*

Secundus finis predicatoris est salus populi, propter quam de celo descendit Dei Filius habitu nostre mortalitatis uestitus, et propter quam a principio misit sanctos suos, primo patriarchas, secundo prophetas, postea apostolos et discipulos suos, ac postmodum martires et doctores, ut tangit Gregorius in prologo *Moralium*<sup>1</sup>, et ultimo ordines, maxime mendicantium, qui ad hoc specialiter fuerunt a Deo missi et ab Ecclesia Romana approbati et suscepti, et ex eorum aliqui confirmati et magnis priuilegiis et graciis dotati; quibus omnibus insimul Deus Pater dixit uerbum quod Christus dixit discipulis euntibus ad hoc sacrum opus: *Elegi uos, inquit, ut eatis et fructum afferatis et fructus uester maneat.* Quia hoc sacrum opus sic est mundo necessarium quod, ut dixit ille euangelicus *Isaias*: *Nisi Deus reliquisset nobis semen Sodoma fuissetis et quasi Gomorra essemus similes.* Dignatus est tamen nobis hoc sacrum semen relinquere sue gloriose doctrine ut uiuant in Deo et pascantur anime ille quas eternaliter ex nimia sui caritate disposuit saluare. Ideo hoc seminare officium est ita sibi gratum quod, ut dicit Gregorius in *Pastorali*<sup>2</sup>: “Nullum in conspectu Dei omnipotentis maius sacrificium quam zelus animarum.” Quiquidem zelus multum feruens ostenditur in predicatione feruenti doctrine Christi. Hoc enim sacrum opus consumacio est plene caritatis qua propter Deum proximum eripitur de faucibus<sup>a</sup> mortis et reducit ad statum salutis. Propter hoc dixit beatus Pater noster Franciscus quod saluti animarum nihil est preferendum, ex quo pro illis unigenitus Dei Filius seipsum exposuit morti crucis.

Tercius finis huius sacri officii est salus et fructus meriti predicantis. Quem fructum exprimens Redemptor humani generis, *Matthaei* .v°: *Qui fecerit et docuerit, magnus uocabitur in regno celorum.* Et bene magnus, quia magnus apud angelos, et magnus apud homines, et magnus apud Deum. Et inferius hic in terris, sed maxime primo superius et in celis. Et merito, quia quilibet talis est lux mundi, sal terre, tuba celestis, preco iudicis, angelus terrestris et homo celestis, qui pro zelo ueritatis ingenite se offert bonis et malis, intrepide portans contra omne uicium gladium uerbi Dei, nulli defferens timore uel amore; propter quod merito tute spectare potest aureolam preter essenciale premium in patria, eo quod pro incommutabili iusticia

<sup>1</sup> *PL*, 75, 524.

<sup>2</sup> *Hom. in Ez.*, lib. I, 30: *PL*, 76, 932.

<sup>a</sup> fructibus] faucibus *A*

constanter bellauit hic in uia. Sed sunt nonnulli uento<sup>b</sup> superbie et uanaglorie inflati, meretricantes uerbum Dei, qui in suis uentosis predicacionibus nullum finem de predictis intendunt, sed pocius repugnantem scilicet gloriam, famam propriam et honorem. Et ad hoc in contemptum uerbi Dei et in scandalum audiencium conuertunt se ad uerba picta, rimata et rethorice ornata, quibus coniungunt pro sui maiore ostentacione dicta quadriuii ut arismetice, geometrie, astrologie et musice, licet sepius illa ignorent que dicunt. Aliquando dubia et rationes philosophicas uanissime pertractant, imo sepe usque ad celum caput irreuenter extollentes, laicali populo proponunt et adducunt theologica ab eis inattingibilia pro hoc statu. Et quia isti quasi dracones attraquentes insaciabiliter omnem uentum, abiicientes angelico officio predicantis, noluerunt in aliquo fine predictorum Deum habere in noticiam et timorem eius coram se. Ideo tradit illos Deus sepius, ut ostendit illud Apostoli *Ad Romanos* .i<sup>o</sup>. *in reprobum sensum ut faciant que non conueniunt, repletos omni iniquitate, malicia, fornicacione, auaricia, nequicia, plenos inuidia, dolo, malignitate, ut sunt susurriones, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, insipientes et incompositos, sine fide et sine federe et sine misericordia; dicentes et credentes se esse aliis sapienciores, stulti facti sunt et aliis contemptibiliores.* Et merito quia mutauerunt gloriam Dei in gloriam propriam et utilitatem ueram et permanentem sui et proximi in gloriam arundinis agitate et fracte a uento glorie secularis. Tales enim sic predicando peccant mortaliter. Contra quos doctrina Christi clamat ad suum fontem iniciais Christum dicens: *Deus meus, pone illos ut rotam et sicut stipulam ante faciem uenti* qui sic in uento delectantur, ut de sua predicacione nullam uelint eternam retribucionem, sed hic affectantur recipere mercedem suam. Sepe uidimus in talibus predicatoribus uentosis quod moriuntur ante tempus suum et tunc uel perdunt usum lingue uel alterius organi necessarii ad loquendum, sic quod nec confiteri nec se ordinare ad Deum, ut consuetum est, possint. Et de causa finali hoc sufficiat.

Capitulum secundum in quo tractatur de causa efficiente predicacionis.

Efficiens causa predicacionis<sup>c</sup> siue exequens dicitur ipse predicator. Quis et qualis esse debet, ostendit nobis Dominus *Isaie* .iiii<sup>o</sup>., ubi sic inquit: *Supra montem excelsum ascende tu qui euangelizas Syon; exalta in fortitudine uocem tuam, qui euangelizas Jerusalem;*

<sup>b</sup> uento] merito *A*

<sup>c</sup> causa predicacionis *add C*

*exalta, noli timere, dic ciuitatibus Iuda: Ecce Deus uester.* Ubi per hoc intendit loqui in fortitudine<sup>d</sup> predicatori qui euangelizat et predicat gentibus Syon, que interpretatur speculatio, et est Christi doctrina, que secundum Gregorium nobis proponitur ut speculum in qua nostra feda uel pulcra conspiciamus<sup>a</sup>. Et si adhuc sic loquimur tanquam ille qui predicat de illa celesti urbe, id est de illa celesti Ierusalem que est mater imo finis noster. Ut igitur tali sic euangelizanti credatur, requiritur quod sit sciens ad discernendum, uerax ad pronuntiandum, uirtuosus ad operandum, beniuolus ad tradendum seu predicandum. Expediit primo eciam quod ascendat *supra montem excelsum* scilicet perfectionis uite. Et notanter dicit excelsum quia nedum sufficit predicatori doctrine Christi quod sit in monte perfectionis cuiuscumque, sed requiritur quod sit in monte perfectionis excelse, et quod sit pre aliis uerax in sermone et in iusticia uite, et quod sit pre aliis humilis, pociens, tractabilis et benignus, super omnia amans paupertatem; non sit conquisitor huius seculi, nec pomposus nec uentusus, ut non credatur ab auditoribus quod predicat propter lucrum sed propter fructum predictum. Et summe requiritur quod sit castus, quia ad hanc uirtutem maxime seculares attendunt, et sine qua est totaliter contemptibilis omnis sermo a quocumque dicatur. Requiritur eciam principaliter quod talis sit caritatiuus et accensus in Dei amore, et timore plenus ac penitencie et austeritate innixus, et exemplare gestibus, uestibus, uerbis et operibus sanctis et consiliis sanis. Et propter hoc expediit quod talis nulli sit multum familiaris, quia omnis familiaritas parit contemptum, secundum quod experientia docet, eciam inter sensatos sic est quantumcumque dissimile ad tempus et causa assignatur, quia ex nimia familiaritate percipiuntur defectus illius quibus redditur contemptibilis cuilibet eum uidet. Talis igitur qui taliter montem excelsum ascendit, potest secure euangelizare de Christi doctrina altissima et de ciuitate superna miranda, quia dabitur sibi fides ab auditoribus; imo secure talis potest ciuitatibus, uillis et castris et cunctis populis dicere: *Ecce Deus uester*, id est: dico uobis ista ex parte Dei mei qui misit me ad uos. Et certe tunc omnes credunt tali et faciunt illi reuerenciam quam possunt; hec enim est ueritas: quod si predicator uerbi Christi esset uiri perfecti sicut tenentur esse, quod mundus hodie reciperet eos cum equali uel maiori reuerencia quam fecerunt nunquam. Vident tamen seculares multos predicatorum sic scandalosos, sic male edificantes eos in uerbis et factis, quod mirum est, et specialiter gracia Dei in hoc mirabiliter operatur, quia seculares

<sup>a</sup> *Moralium*, lib. II, 1: PL, 75, 553.

<sup>d</sup> in fortitudine] informative AC

non lapidant eos tanquam capitaliter puniendos. Isti sunt a Deo maledicti; et hiis specialiter maledictionem eternam imprecatus est sanctus Franciscus si sint de suo statu, tanquam illi qui pondus Christi doctrine quantum in se est reddunt contemptibile toto mundo. Quia sicut dicit Gregorius<sup>4</sup>: “Cuius uita despicitur, restat ut eius sermo uel predicatio contempnatur.” Hiis dicit Apostolus: *Medice, cura teipsum*. Verbum Dei in istis est sicut margarite inter porcos et sanctum inter canes, quibus comminatur Deus psalmo .xlix<sup>o</sup>: *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras iusticias meas et assumis testamentum meum per os tuum? Tu uero odisti disciplinam, proiecisti sermones meos retrorsum*. Sequitur periculum quod dicit: *Arguam te et statuum contra faciem tuam*, id est: te arguendo super hoc, firmabo istud specialiter contra faciem consciencie tue adducendo iudicium dampnationis contra te. Nam tu sic uiuendo, iudicas temetipsum ad eternam mortem. *Ad Romanos* .ii<sup>o</sup>. capitulo scribitur: *Quid ergo alium doces, teipsum non doces; qui predicas non furandum, furaris; qui predicas non mechandum, mecharis; in quo esse alium iudicas temetipsum condemnas*. Et merito condemnandus es ex quo tua mala uita infirmas illam lucem solis celestis, scilicet Christi doctrinam sacratissimam que fundata est morte et sanguine eius ac tantorum martirum qui pro tali et tanta ueritate se libentissime morti dederunt. Unde Gregorius: “Nullus magis doctrinam Christi infirmat, nullus sic Christum impugnat, nullus maiorem hostem Dei tollerat quam ipsum qui alte predicat et male uiuit.” Talis enim clare ostendit se non credere quod docet. Ideo predicator uerbi Dei, iuxta Augustini consilium, sic uitam suam et famam custodiat, specialiter propter doctrine Christi reuerenciam ut ipsa in cordibus audiencium fructificet et non erubescat detraccionibus laudatoris. Et nota quod maior est generans in fide quam mutans; ideo apostoli, ut apostoli, fuerunt maiores quam ut episcopi. Ideo ait Apostolus: *Centum pedagogi inter uos, unus autem pater* etc.

Sequitur tertium capitulum in quo tractatur de forma predicacionis, et diuiditur in septem capitula. De prima condicione quam debet seruare predicator in sermone.

*Primum capitulum: De breuitate sermonis etc.*

Forma autem ordinate predicacionis quod est principale tertium hic discutiendum, hoc exigit seruare<sup>e</sup>, uidelicet, ut predicatio uerbi

<sup>4</sup> *Hom. in Es.*, lib. I, 15: *PL*, 76, 1119.

<sup>e</sup> seruare] *B*, seriose *A*



diuini fiat breuissime, feruentissime, spaciose, deuote, moraliter, prudenter, ordinate.

Primo modo, predicacio debet fieri *breuissime* hiis de causis, primo: ad imitationem summi capitis nostri Domini Jhesu Christi, qui dans nobis formam predicandi, uerbum fecit abbreviatum predicans super terram. Et ad hoc specialiter instruit <sup>f</sup> beatus Franciscus fratres suos in *Regula*, ut predicent cum breuitate sermonis; ideo frater minor uiciosus in prolixitate sermonis pre aliis predicantibus debet argui et culpari.

Secunda ratio: quia quanto sermo est breuior, tanto plus fructificat audientibus et plus possunt portare secum. Ideo dixit Christus apostolis: *Multa alia habeo uobis dicere, sed non potestis portare modo.*

Tercio: quia predicans potest feruencius et recensius et frequencius predicare, eciam, si expedit, eadem die si breuiter loquatur et minus lassabitur in persona.

Quarto: si predicator pauca dicat in predicando, copiosior erit ad sepius predicandum, quia quanto minora dicit, tanto restant plura ad dicendum.

Quinto, et reducitur ad primum: quia propter breuitatem, auditores redduntur beniuoli et attenti, et libencius alia uice reuertuntur ad predicacionem audiendam, et audius audiunt que eis dicuntur, quia secundum Gregorium: "Cibaria que minus sufficiunt, audius sumuntur."

Sexto: quia prolixitas confundit intellectum audientis et loquentis, et eum reddit indispositum ad omnia supradicta, et per consequens sequitur minor fructus.

Septimo: quia breuitas subseruit omnibus aliis condicionibus predictis, quia breuiter predicans potest predicare secure, cicius <sup>g</sup>, spaciosius, deuocius; et de moralitate potest loqui acucius, et dicenda potest examinare quisque ex breuitate prudencius. Propter quod oportet quod predicator breuitatis amore ponat uerba sua in aliquo certo ordine ne propter <sup>h</sup> defectum ordinis habeat discurrendum sine ordine, sepe eadem repetere, uel propter obliuionem prolixius immorari.

Gaudent minus breuitate moderni, ut ponit Priscianus, secundo et tercio capitulis.

<sup>f</sup> instruit] BC, instauit A

<sup>g</sup> secure cicius] feruencius A

<sup>h</sup> propter] per A

*Sequitur de secunda condicione quam predicator debet seruare in predicando, scilicet quod loquatur feruentissime.*

Secundo, dixi quod debet predicator loqui *feruentissime*. Et hoc ut magis imprimat que dicit. Unde loquentes tepide et remisse, quantumque bona dicant, tamen non mouent corda audiencium. Omnis enim Dei cultus debet procedere ex animo toto, et per consequens debet esse totus ignitus et feruens. In cuius figura iubetur *Leuitici .viº*: *Spiritu feruentes, Domino seruientes*. Quod maxime conuenit illi qui a Deo legatus est populis, qui tam pro reuerencia Dei uiuentis, quam pro honore ueritatis quam denunciat, quam pro utilitate sui et aliorum quibus loquitur, debet se ostendere feruidum et ignitum. De Apollo scribitur *Actuum .xviiiº*. quod *feruens spiritu loquebatur ea que erant Ihesu*. Et de Helia quod *uidebatur uerbum illius quasi facula ardens*. Et de Johanne Baptista quod *uenit in spiritu et uirtute Helie parare Domino plebem perfectam*. Talis enim feruens tanto est maior quanto in corde interius plus caritas Dei ebullit. Paulus eciam legitur fuisse feruentissimus in predicacione sua; et omnes martires et doctores in predicacionibus suis sancti qui fuerunt predicatorum uerbi Dei.

Sunt tamen aliqui ualde remissi et tepidi in predicacionibus suis, et ex multis causis. Nam aliqui sunt remissi naturaliter, ut flegmatici, qui tamen hoc non obstante debent feruide loqui. Ex quo uerba ignea, scilicet sancti Euangelii a Spiritu sancto inspirata habent proferre; et ut testimonium eorum sit efficacius et a Deo acceptius, et populo ac sibi utilius. Talis enim remissio in Dei opere consurgit in istis ex quadam negligencia naturali, imo potius uoluntaria; ideo debent sibi cauere a diuina malediccione que datur eis, *Jeremie .xlviiiiº*. ubi dicitur: *Maledictus qui facit opus Dei negligenter*. Hoc enim scias pro certo quod Deus dat copiosa uerba et alta predicantibus feruide et in uirtute iuxta illud *Psalmiste: Dominus dabit uerbum euangelizantibus uirtute multa*. Alii sunt remissi ex timore uel amore alicuius rei temporalis quam formidant perdere si loquantur acute. Et isti sunt illi canes muti, non audentes latrare, qui non habent securitatem; de quibus *Isaias .lviº*. Ideo merito requiret Deus animas perditas ab eis, iuxta illud *Ezechielis .iiiº* ubi dicitur: *Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel*. Et sequitur: *Si illi annunciaueris uerba mea et non conuertatur, tu animam tuam liberasti; si non annunciaueris, animam eius de manu tua requiram*. Ne igitur a Deo requiratur animam hominis perditam, intepide et feruenter loquere et annuncia uerbum Dei.

Hic tamen nota quod iste feruor debet esse prudens et multa maturitate munitus, ut uidelicet illa que haberet loqui non excedant limites rationis. Sed attendat predicator illa que feruide alloquitur, ut nullum in speciali possit publice ledere nec infamare<sup>1</sup>; unde sepe ex indiscreto zelo trahitur ad contumeliam christiani ad peccata multa. Ideo dicitur I<sup>a</sup> Petri .iiii<sup>o</sup>.: *Nolite peregrinari in feruore qui ad temptationem uobis fit*, scilicet ut temptemini et sciatis in uobis ipsis uidere quante sit prudencie uel caritatis. Ideo Bernardus *Super Cantica*<sup>5</sup>: “Virtus discrecionis absque caritatis feruore, iacet; et feruor uehemens absque discrecionis temperamento, precipitat. Ideo feruor discrecionem exigit et discrecio feruorem regat.” Unde idem Bernardus: “Non habet, inquit, calidus hostis efficacius machinamentum ad tollendum de corde dileccionem quam si efficere possit, ut in ea incaute et non racionabiliter ambuletur.” Ideo dat ipsemet talibus optimum consilium et est istud: “Bone uoluntati non semper credendum est, sed discrecionem cum fuerit seruanda est et regenda; aliter eris sicut Belzeub cui atribuitur Sathana per Sathanam expelli.” Ex quo patet quod feruor in predicacione est necessarius et commendabilis; tamen nisi cum prudencia coniungitur omniuaque. Remissio autem in predicatore uerbi Dei et feruor indiscretus, sunt due rote ipsum trahentes ad eternam mortem, iuxta illud: *Incensa igitur igni et suffosa; a facie uultus tui peribunt*. Et merito quia tales ut communiter sunt extremaliter<sup>k</sup> predicantes, presumuntur maximi peccatores, iuxta illud *Ecclesiastici .xxiii<sup>o</sup>*.: *Duo genera abundant in peccatis et tertium adducit iram et perdicionem*; et numerans primum dicit sic: *Anima calida quasi ignis ardens*; per que innuit quod ardentem procedentes nisi regantur prudencia, sunt magni peccatores. Sit igitur predicator uerbi Dei prudenter feruens et feruenter prudens et bene procedet.

*Sequitur de tertia condicione quam debet predicator seruare in predicando, scilicet quod loquatur spaciose.*

Tercio, debet loqui *spaciose* et hoc ut melius intelligatur. Quod maxime debent obseruare illi qui precipites sunt in uerbo et nimis currentes. *Prouerbiorum .ix<sup>o</sup>*.: *Qui festinus est, pedibus offendet*; quia sicut ambulans festinanter offendit sepe pedem suum, sic qui festinanter loquitur sepe liguam suam sibi turbat et uerba truncat<sup>l</sup>, et non

<sup>5</sup> *Sermo XXIII, 8: PL, 183, 888.*

<sup>i</sup> infamare] infirmare *A*

<sup>k</sup> extremaliter] exterminaliter *A*

<sup>l</sup> et uerba truncat *om A*

percipitur clare. Talis enim tempus predicacionis occupat in uanum, quia seipsum loquendo lassat et nullus in uerbo suo proficit, et ideo esset melius sibi tacere. Aliqui tamen sic festinant ut multa dicant et ut magis uideantur scientes, et dicunt quod in sermonibus est effundenda sciencia et quod ibi uolunt ostendere quod portant sacculum sciencie. Sed, proh dolor! et quanta est uanitas! quanta fraus in Dei opere! quanta macula in doctrina Christi quod unus talis truphator, ad ostendendum se sapientem, conculcet et inuoluat imperite<sup>m</sup>, diuinas sentencias et confundat uerbum ueritatis<sup>n</sup>, pretermissa diuina reuerencia et utilitate populi et merito personali! O infelix bestia! que sic aspiras ad tui laudem, uentum instabilem et subito deffectibilem huius seculi, ut de sacra Christi doctrina, in te prostituta et fedata quantum in te est, facias tibi scalam et instrumentum ad ascendendum usque ad pinaculum altitudinis diaboli, unde ad tui summam confusionem ruiturus es detestabiliter hora tibi ignota. Talis enim miser, ueri Christi seminis latro, ultra hoc quod peccat mortaliter tali fine predicando, adiunget tamen sibi ultra sui dampnacionis cumulum, eo quod sic Deo auffert gloriam, et proximo fructum, et sibi propter uentum mundanum auget dampnum<sup>o</sup>. Pauca igitur dicas et illa spaciosius et intelligibilius, quia *Prouerbiorum .xxv<sup>o</sup>*. ante scribitur quod *mel dulce et bonum, sumere multum<sup>p</sup>*, non est bonum sed ad sufficienciam. Sic nec de diuinis eloquiis sunt simul predicanda multa sed pauca, et illa bene ruminata digerere, ut predicatori proficiat et eciam auditori.

*Sequitur de quarta condicione quam debet predicator seruare in predicando, scilicet, quod predicet deuote, etc.*

Quarto, debet predicator Christi loqui *deuote*, ut uideatur homo spiritualis in uerbis et<sup>q</sup> gestibus, et non secularis; et proferre uerba non inania nec risu digna, sed gracia Spiritus Sancti plena, medullas cordium penetrancia ac audiencium corda immutancia in admiracionem et stuporem. Predicator enim diuinus debet apparere quasi homo alterius seculi, qui tam facto quam uerbo omnes nitatur trahere ad salutem; propter quod expedit ne predicator immediate<sup>r</sup> ante sermonem aut post sermonem loquatur cum aliquibus qui audituri sunt sermo-

<sup>m</sup> imperite] in peiore A

<sup>n</sup> ueritatis] uirtutis A

<sup>o</sup> auget damnum om AC

<sup>p</sup> sumere multum om AC

<sup>q</sup> uerbis et om AC

<sup>r</sup> immediate om AC

nem; sed moram interponat magnam et notabilem, ut uerba sua non audiantur uix nisi in predicatorio. Contempnuntur enim uerba sacri eloquii prolata per os multum familiare propter causas supradictas. Et nedum hoc docet ratio de sermone uerbi Dei, imo etiam de missa et generaliter de omni opere diuino et alto. Multi enim infelices et infeliciter predicantes suis uerbis et gestibus ostendunt se esse penitus seculares et homines nullius religionis. Extendunt enim brachia et ostendunt illa bene ornata et non multum paupertati annexa, ad scandalum uidencium ea. Clamant etiam subridendo uel aliquando furriendo, sic affectus eos ducunt; et cum sint carnalissimi et magis filiatores mulierum et bithzoquori magni, id est laute comedentes et bibentes et splendide induti, ipsi tamen sine omni uerecundia semper predicant contra luxuriam et gulam et diuicias ad magnam contumeliam uultus sui et grande contemptum predicationis suae, quam populus uidet contraria uite illorum. Interdum dimittentes uerba Dei que omnibus sufficiunt etiam pro quocumque arduo, omni tempore inducunt uerba mendacii sicut fabulas uel truphas confectas ab ipsis uel aliis meditatas, propter quam predicationem miserabilem uerba Dei fedantem uenit plaga Dei obcecans oculos mentales eorum et perducens eos ad mortem. Et merito, quia nedum Deum sic offendunt, imo et populum ad mendacia sua audienda sic inclinant ad quod plus placent tandem in talibus truffis potius<sup>s</sup>, quam in diuinis eloquiis propter quod predicantes et audientes simul inuoluit diuina sententia, ut patet Ieremie .vº. de prophetis predicantibus mendacium et de populo talia libenter audiente. Consequenter enim populus sic attractus ad talia sicut ad mala promior clamat illud Isaie .iiiº.: *Loquimini nobis placencia; dicite nobis errores*, id est uerba que in uerbo predicationis Christi sunt erronea, ut non proficiamus sed potius in hiis quasi in uerbis lasciuie delectemur, Non igitur sic, sed deuota et sancta deuote et cum deuocione predicemus, ne meritum<sup>t</sup> tanti misterii nobis commissi perdamus.

*Sequitur de quinta condicione quam debet predicator seruare in predicando, scilicet quod predicet moraliter.*

Quinto est predicandum *moraliter*. Unde quia predicacio specialiter tendit ad corrigendos homines a peccatis et instruendos eos ad bene agere, ideo tota predicacio pro maiori sui parte debet ad mores conuerti Ideo posuit beatus Franciscus in *Regula* sua quod fratres in sua predicatione annuncient uicia et uirtutes, penam et gloriam cum

<sup>s</sup> potius om AC

<sup>t</sup> meritum] ministerium A

breuitate sermonis. Et dicit signanter uicia in primo loco, quia primo est intendendum ad hoc quod homines deponant uicia, quia uicia sunt deponenda et uicia sunt predicanda et uiciosi non sunt signandi propter scandalum predicantis et infamiam uiciosi. Et hoc est expresse preceptum a Domino Isaie .lviii<sup>o</sup>, ubi precipitur predicatori uerbi Dei sic: *Clama, ne cesses; quasi tuba exalta uocem tuam et annuncia populo meo scelera eorum et domui Iacob peccata eorum*. Predicator enim euangelicus est ut medicus; constat enim quod medicus in uulnere primo aufert putridum antequam ponat unguentum, aliter morbus fieret deterior. Sic in proposito euangelicus prece debet primo peccatum tergere per ostensionem sue malicie et per timorem pene<sup>u</sup>, antequam loquatur de statu uirtuali uel de premio regni. Et propter hoc dictum est a Domino Ieremie .iii<sup>o</sup>: *Constitui te ut euellas et destruas, edifices et plantes*. Ecce quomodo hic edificium et plantacionem uirtutum debet precedere euulsioni peccatorum. Viciis autem impugnatis, potest suaderi plantacio contraria uirtutum sicut inferius in quarto principali, scilicet in sermonibus lacius continetur. Optimum igitur documentum predicatori euangelio est principaliter intendere ad moralia et postea ad penam et ad gloriam; aliter credas michi quod semper erit sermo insipidus populo quantumcumque dictis et uerbis altis sit adornatus. Aduerte hic quod licet predicare moraliter<sup>v</sup>, sit necessarium ad bene et utiliter predicandum et ad finem uere predicacionis, tamen non omnis moralitas est bona ubique nec a quocumque. Nam predicare moraliter contra prelatos et principes et regentes mundum et uicarios eorum non est bonum coram populo, quia est periculum commouendi et suscitandi populum contra eos; sed uicia eorum debent dici ad partem, familiariter uel saltem coniunctis eis. Nec eciam quocumque uicia debent dici a quocumque, nam predicator iuuenis non debet multum loqui de peccatis carnis in publico, quantumcumque sit mundus, eo quod minus crederetur ei propter iuuentutem; nec eciam peccata carnis siue in profunde malicie immundiciarum eius non debent publice predicari ne addiscant peccare illi<sup>x</sup> qui tam horrenda ignorant. Sed cum necesse est talia dicere, sufficit per uerba generalia ea exprimere et superficialiter, ualde magis extendendo sermonem ad penam talium peccatorum quam ad eorum culpas uel modos peccandi. Predicator igitur euangelicus taliter faciat, quod nunquam predicet quin populus aliud ab eo utile et notabile reportet pro direccione uite sue. De hac materia dicentur aliqua in capitulo immediate sequenti etc.

<sup>u</sup> timorem pene] interiorem penam A

<sup>v</sup> predicare moraliter] predicatori morali A

<sup>x</sup> addiscant peccare illi] ad instanter potest caro illi A

*Sequitur de sexta condicione quam debet seruare predicator in predicando, scilicet, quod predicet prudenter.*

Sexto, euangelicus preco predicet *prudenter* ut, secundum quod docet Gregorius in suo *Pastorali*<sup>6</sup>, distribuatur auditoribus pro eorum captu, considerando eorum condicionem et statum. Unde aliter est predicandum nobilibus, aliter mercatoribus, aliter rusticis, aliter ciuibus, aliter marinariis et aliter militibus, aliter hominibus, aliter mulieribus, aliter fidelibus, aliter infidelibus, aliter pueris, aliter senibus, aliter sapientibus, aliter dissolutis et cuilibet secundum statum suum. Sed aliter est predicandum cum predicatur de dominica et aliter cum predicatur de sancto. Cum enim de dominica agitur, referenda est historia euangelii et aliquid superaddendum modis inferius designandis. Si autem de sancto aliquo predicetur, tunc uita sancti est dicenda, saltem principalia eius cum aliquo apparatu, modis inferius in *Sermonibus* annotatis. Et ut plus moueantur corda audiencium et maior fructus in omni sermone fiat, tam uite sanctorum quam euangeliorum historie, quecumque allegoria siue profecto allegata diuina siue quodcumque tractetur, finaliter trahatur ad mores. Hec enim docuerunt nos patres precedentes, scilicet quod de omni quod tractetur hauriatur aliqua utilitas spiritualis; imo ad hoc magnus philosophus Socrates nixus est etiam totam philosophiam trahere et inflectare ad mores.

Interrogatus semel quidam peritus theologus quid agere debeat summarie quilibet prudens predicator ut predicet prudenter, utiliter et sit Deo gratus et populo, respondit summarie per hec uerba punctalia:

“Nunquam suspecta aut multum noua predices, ne habeas illa reuocare confusibiliter aut in probacione deficere. Cum grauitate semper loquaris, ut Dei uerbum honoretur et ponderetur, et ipse qui te misit, Deus, in tuo uerbo etiam timeatur. Non predices si sis indispositus naturaliter, ut sunt elingues uel impediti morbo, ne derisorium reddas Dei sermonem et ne ostendas te esse<sup>7</sup> ambiciosum. Nullo etiam modo predices improuisus seu onerosus, ne te confundas et uerbum Dei exponatur<sup>8</sup> ludibrio. Cum dispositus fueris sermocina frequenter, maxime si uides te facere fructum, quia tibi preceptum est: *Clama, ne cesses*; tamen quia proximum reuocas de quo a te queret Deus specialiter in morte. Numquam certo stilo te supponas, sed ei que Deus spirabit, alias scandala incurres et multa peccata committes. Ut sermo

<sup>6</sup> Pars III, cap. I: *PL*, 77, 50.

<sup>7</sup> te esse] intentum et *A*

<sup>8</sup> exponatur] expendatur *A*

Dei sit preciosus in te, consortia et negocia secularium fuge ut mortem. Cum generaliter incipies mores docere, statim ad spiritualia ascende non signando status et personas; nichil enim prodest loqui contra auariciam, nisi statim descendas ad furtum, usuram, ludum uel aliquam speciem uel casum pungens aliquos qui sunt ibi. Verba que habes predicare sint casta et non turpia, uera et non falsa uel uana, non temeraria, nec personam in singulari notancia, nec simulata, nec duplicia, nec pro toto mundo adulatoria, nec ad desperationem inducencia, nec eciam ad spem male agendi. Ideo beatus Ffranciscus precepit fratribus suis ut in predicacione quam faciunt sint casta et examinata eorum eloquia. Antequam predices, ora humiliter ad Patrem ut per Verbum Incarnatum dignetur tuum preseruare sermonem ab omni errore, et eum faciat ad suam gloriam cadere in terram bonam ut det sibi fructum gratum. Potes<sup>a</sup> eciam recurrere<sup>b</sup> ad beatam Virginem confidenter et ad sanctum angelum custodem et ad aliquem sanctum uel sanctam tibi specialem. Antequam predices, humiliter petas benedictionem a sacerdote. Positus in predicatorio, signa tibi frontem, os et pectus signo crucis dicendo: *Et Verbum caro factum est et habitauit in nobis etc. Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui etc.*; et dices populo secrete: *Deus det uobis suam pacem etc.* Caput semper predicando discoopertum habeas propter reuerenciam uerbi Dei; manus tuas nunquam populo nudas ostendas; nunquam oculum in aliquem figas; equaliter ad omnem partem te conuertas. Verba gestibus correspondeant, ut leta dicantur letanter, et tristia tristi uultu, et terribilia facie terribili, et gaudia celestia gestibus plenis exultacionis promantur et cum efficacia et uirtute uocis. Semper post sermonem non te iungas aliis statim, sed ad orandum uadas, gracias agendo Deo qui fecit tibi gratiam exequendi opus tante excellencie. Roges ut ad sui honorem transeat et fructificet auditoribus, et omnis uanagloria a te abscedat, ne regni eterni meritum perdas propter uanam mundi auram. Si te de tuo sermone percipis laudandum ab aliquo, subito muta materiam uel ab eo recede; uana enim gloria serpens est callidissimus qui subito et dulciter intrat et nisi quis caueatur non recedit nisi mortaliter mordeat et auferat quod interius aggregasti etc. Opus sermonum semper teneas et habeas tecum familiarem et ductilem, ut sis prompcior omni tempore ad predicandum. Ubi habere possis specialem amicum cum quo de tuo sermone conferre possis seorsum, quere ab illo corrigi et informari in quibus defficis predicando. Non sub eodem tono predicando loquaris, nec nimis alte nec submisse, licet ea que sunt maioris ponderis uel maioris periculi

<sup>a</sup> Potes] Petas A

<sup>b</sup> recurrere om A



possint cum maiori clamore dici, ut uox ex sui orrore faciat materiam magis terribilem de qua tunc loquaris predicando, ut dignior et aprior sit minister uerbi Dei per linguam paternam nobis expressi, scilicet per Christum. Semper caueas ab omni peccato lingue, et silencium extra predicacionem diligas sicut propriam uitam. Nunquam stilum certum teneas, ne aliquando tenearis dicere superflua uel diminuta; sed illum sequaris quem Spiritus Sanctus tibi ministrauerit uel quem presens<sup>c</sup> Ars te docuerit, uel quecumque alia sana doctrina. Semper meliora predices in principio et in fine; et si non sufficis prouidere hic et ibi, saltem pro fine sermonis meliora reserua. Nunquam incipiendo loqui in sermone laudes auditores sicut multi dicunt dicentes: “Domini et domine” uel “Bona gens”, uel “Domini boni”; sed quasi habens omnia subiecta tibi per illum qui te misit, statim incipias omnino, pretermisso nomine quocumque audiencium te, erumpas in uerbum altum uel in quodcumque aliud quod Deus tibi ministrabit. Nunquam impertinencia materie propositae dicas, nec figuram per aliam figuram probes. Nunquam aliquem predicantem fugias, nec contempnas propter ipsum a quo missus est, et Deus dabit tibi gratiam ampliorem. Ubi autem a sermone aliquo habeas recedere, nunquam in medio recedas ut alios non prouoces ad contemptum, sed in principio uel ante sermonem, capta idonea excusacione<sup>d</sup>, recedas; eos autem<sup>e</sup> quos audire non placet, libenter audias propter reuerenciam uerbi Dei cuius contemptus par creditur illi qui Corpus Christi consecratum<sup>f</sup> pedibus calcet, patet in *Decretis*; per hoc eciam indeuotos uerbo ad audiendum induces. Si donum predicandi suscepisti, noli esse sine metu, qualiter eum dispensabis irreprehensibiliter in hac uita: queret enim Deus a te de hoc tanquam de dono magno sui tibi ad magna concesso. Nunquam predicatori euangelico detrahas, nec eius libenter audias detraccionem<sup>g</sup> et maiorem gratiam apud Deum acquires. Si quis predicando deficiat uerbo aut gestu, seorsum illum in caritate<sup>h</sup>, corrigas quasi patrem. Si heresim ignoranter predices, statim reuoca antequam sis publice reprehensus. Nullum fidelem sermonem contempnas propter ignoranciam predicantis, per asinam enim Deus<sup>i</sup>, arguit Balaam prophetam; et in uolatilibus apibus est paruissima que tamen ceteris uolatilibus dat dulciora. Omni tempore, corde simplici, humili ac feruenti,

<sup>c</sup> presens] proprius *A*

<sup>d</sup> excusaciones] scrutacione *A*

<sup>e</sup> eos autem] Eciam *A*

<sup>f</sup> consecratum] consociatum *A*

<sup>g</sup> detraccionem] detractorem *A*

<sup>h</sup> in caritate] caritative *A*

<sup>i</sup> per asinam enim Deus] nam et Deus non *A*

te iungas ad audiendum omnem Dei sermonem; hoc enim facere libenter coniectura est hominis predestinati. I o a n n i s .vi°. legimus: *Qui ex Deo est, uerba Dei audit; propterea uos non auditis quia ex Deo non estis*. Semper predicantem dubia interpretari debes ad sensum meliorem; quia si uis tibi fieri, hoc non intendo, si <sup>k</sup> constat eum euidenter dixisse in fide uel in moribus dampnabilem errorem. Ut magnus in regno celorum habearis a Deo, non predices pro temporali mercede, quia non est predicandum ut habeamus uictum, secundum Apostolum, sed potius e conuerso: non enim propter quamcumque mercedem temporalem est predicandum sed precipue propter fines premissos, et tunc Deus de altari ministrabit uel aliunde uictum et necessaria predicanti, quia ipse dixit quod *non est alligandum os boui trituranti*, id est, predicatori predicanti. Qui enim propter mercedem cuiuscumque temporalis questus predicat principaliter, non est dignus mercede eterna, quia est tante peruersitatis quod fruitur utendis et utitur fruendis. Tale enim lucrum turpissimum est et contra finem euangelice predicacionis de directo, dicente Domino, quod, *gratis accepistis, gratis date* etc.”

Doctor eciam quidam nostri temporis, dans formam predicandi euangelicis predicantibus sic inquit in quodam suo tractatu de ista materia:

“Aduerte, tu, predicator uerbi Dei, ad uerba Redemptoris nostri, M a t t h e i .xxiii°. ubi ostendit qualis esse non debeas et per consequens qualis esse tenearis. Dicit enim: *Super cathedram Moysi sederunt scribe et pharisei: omnia ergo quecumque dixerint uobis seruate et facite; secundum opera eorum nolite facere. Alligant enim onera grauia et importabilia et imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea mouere. Omnia enim opera sua faciunt ut uideantur ab hominibus: dilatant enim philacteria sua et magnificant fimbrias; amant autem primos recubitus in cenis et primas cathedras in sinagogis et salutationes in foro, et uocari ab hominibus Rabbi. Vos autem nolite uocari Rabbi; unus est enim magister uester. Attende, inquit iste doctor, frater qui predicas, uerba Dei ad hanc sacratissimam doctrinam Verbi paterni et uide quantum profunde tibi subiicit auditores cum premitit superficialiter pro eo quod super cathedram, id est, dignitatem predicacionis que maxime est in ecclesie sedes, statim populus debet et tenetur facere et seruare ea que de sacra cathedra, id est, de Christi doctrina que predicas illis. Lege credo imperiali statutum est ut qui sacra Dei uerba predicanti coram populo insultauerit, pena capitali puniatur.*

<sup>k</sup> si constat ... a Deo add B

“Ecce audisti tuam dignitatem; audi igitur tuam ignominiam. Iubet enim caput nostrum populo suo cum uerbo humili et subiecto, ut si malus fueris in uita, secundum opera tua non faciat. O quam turpis dissonancia ut lingua predicatoris sit in infinitum maior quam eius manus! Imo manus eius, scilicet recte operans, non apparet<sup>l</sup>, in multis quorum lingua et fama uerbi se extendit usque ad fines orbis. Certe talis non uocabitur homo in die iudicii Dei sed potius chimera et nichil, quia non portat formam hominis sed bestie numquam uise. Et si uis audire mala tua qui inique uiuis et alte predicas, attende quod tibi proponit ueritatis Magister qui tua opera nouit et tibi similiū: *Alligant enim onera grauiā et importabilia et imponunt humeris hominum; digito autem suo nolunt mouere ea.* O Deus, et quis cogitare sufficit comminationes<sup>m</sup> et onera horrenda et terribilia que predicator uerbosus allegat contra peccata hominum quando predicat uerbum Dei? Et quis ualebit inclinare se ad penitencias fortes pecuniarias et cruciatuias quas ipsi in suis confessionibus dant confitentibus sibi tanquam crudeles et indiscreti, inducentes animas hominum ad totalem desperationem?

Sed audi quantum sint yprocritali ueneno infecti, quia talia honora nolunt in personis suis pro peccatis suis clamantibus usque ad celum suscipere, qui forte numquam pro quocumque sui crimine fleuerint semel nec fecerunt aliquod ieiunium notabile nec afflictium, nec aliquam penitenciam totalem. Nec mirum quia sicut desperati de regno, ea que faciunt et dicunt totum operantur ut uideantur ab hominibus. O infelices qui pro uili mercede tantum perdunt lucrum et gaudium! O, inquit iste doctor, uanitas uanitatum et omnia sunt uanitates! Ex quo homines sunt periti, preeligunt gloriam habere presentem et uanam et repentinam ab hominibus quam a Deo suo eternam.

Caue igitur frater ne sis de numero istorum infeliciū qui mercedem eternam non querunt sed fugacem presentem. O Deus, et quanta arte et studio pergunt perditī isti homines ad infernum! Nam sequitur: *Dilatant philacteria sua et magnificant fimbrias*, quia predicator uani<sup>n</sup> et pomposi huius seculi ad procurandam ampliorem gloriam<sup>o</sup>, laudem et fauorem hominum, sine omni uerecundia, coram hominibus se iactant de sciencia, de lingua, de consilio, de fauore populi; imo aliquando de amicicia magnatum, coram quibus libencius et sine fructu predicant quam coram populo; imo aliquando si sint in remotis, se iactant de genere et expandunt alas suas usque ad celum dicentes se

<sup>l</sup> operans non apparet] operationes non apparens A

<sup>m</sup> comminationes] comparaciones A

<sup>n</sup> uani] magni A

<sup>o</sup> gloriam] gratiam A

posse omnia facere. *Magnificant enim fimbria* id est suos status regulares et suas religiones et statuta et suas cerimonias in quibus ipsi sunt ut plurimum ignorantes et inexperti et totaliter extra omnem obseruanciam illorum; uolunt tamen ut obseruatores ueri et sancti habere gloriam, nomen et famam. O latrones pessimi qui usurpatis honores et Deo gloriam et sibi eternam uitam et tanquam homicide sibi mercantur istis modis mortem eternam! Et quod totum hoc faciant ad ostentacionem et ad gloriam mundi, ostendit pius Redemptor per actus sequentes. Primus est: per dictas dilataciones et magnificencias uolunt bene refici et honorabiliter et pompose. Inquit: *primos accubitus in cenis*; non essent contenti de inferioribus nec de mediis accubitus, sed uolunt primos, quia ibi melius ministratur eis et honorabilius. *Aluarus* enim in *Summa* sua, tangens istam materiam sic inquit: "Audeo dicere coram Deo et hominibus quod nunquam uidi doctorem aliquem magnum et famosum et uerbosum predicatorem uerbi Dei esse amatorem penitencie, nec austeritatis, nec paupertatis, nec caritatis, nec pietatis; sed potius superbie, inuidie, gule, malicie et tocius prauitatis"; hec ille. Quod bene ostendit dictum Saluatoris cum adiungit quod amant *primas cathedras in sinagogis*; ubi ostenditur superbiam cordialem explicatam forinsecus, quia etiam in ecclesia ubi est domus Dei uult quod appareat superbia sua uolens preferri aliis quibuscumque. Sequitur expresse amor uanitatis quia uult *salutationes in foro*, cum tamen predicator uerbi Dei nunquam per forum transire debeat; imo uicos et plateas et theatra publica debeat omnino uitare et spectacula, sicut Ecclesia precipit, nisi ubi haberet necessario predicare. Ibi igitur gloriam et salutationes et reuerencie requirere signum est profunde uanitatis in tali. Et uide quod tanta est hec uanitas in istis, ut nedum quod eis refficiatur gustum et uisum, imo et auditum; uolunt enim uocari Rabbi; cuius appetitus inordinatus tanti nominis reddit eos uanissimos apud Deum. Ideo erudiuit nos Christus consequenter quod talem concupiscenciam non habeamus dicens: *Vos autem nolite uocari Rabbi*, id est nolite habere ad tale nomen concupiscenciam, intus feruentem et ardentem, ne cadatis in confusionem eternam, sicut isti quibus dicit Dominus: *Ite, maledicti, in ignem eternum*; nec ualebit eis eorum instancia licet respondeant: *Domine, nonne etiam in nomine tuo predicauimus* et conuertimus tot animas <sup>P</sup>, ad te? quia dicit Dominus: *Amen dico uobis, nescio uos*, et hoc quia legi mee conformiter uiuere nolistis.

P animas om A

*Sequitur de septima condicione quam debet seruare predicator in predicando, scilicet quod predicet ordinate.*

Septimo, nuncius apostolicus siue tuba Christi et predicator excellens debet ordinate loqui, non confuse, nec inuolute, ne confundat se et suos impediatur auditores. Ordo autem huiusmodi continet summarie tres partes: prima iuuat intelligenciam; secunda iuuat memoriam; tertia iuuat studium et linguam.

[*De prima specie ordinis in qua tractatur de materia que iuuat intelligenciam*].

Circa <sup>q</sup>, primum ordinem hic nota quod si ordinate uis procedere ad indagandum istam materiam, debes uti sequentibus regulis:

Prima est hec: Si queras quid predicabile, recurre ad causas. Cause autem geruntur secundum Philosophum .ii°. *Phisicorum*, assignantur quatuor scilicet finalis, efficiens, formalis et materialis. Si ergo uis predicare de caritate, quere primo <sup>r</sup> quid sit finis eius, et uidebis quod diligere Deum et proximum; secundo quere quid sit causa efficiens eius et uidebis quod Deus actiue et aliquando uita bona est causa augmenti eius; tercio, si queris quid sit formalis causa seu modus eius, uidebis quod diligere siue amor <sup>s</sup>; quarto, si queris que sit materia eius siue entitas eius, uidebis quod una qualitas summa subiectiue existens in sancta anima. Ex hiis quatuor si <sup>t</sup> dilatate uolueris quodlibet horum quatuor, isto ordine dato, tunc poteris procedere diserte et copiose.

Secunda regula est ista: Ad copiosorem materiam habendam ad predicandum considera propositum et ordinem per hos uersus subsequentes, uidelicet: "Res, persona, locus, factum, tempus, numerus, uox." Hiis septem in Sacre Scripture figura trahuntur. Primo, si materiam uis trahere et inuenire, considera illam per aliquam similitudinem rei corporalis ad spiritualem, ut si uis a templo trahere significationem <sup>u</sup>, aliquam ad propositum, uidebis quod templum materiale significat templum spirituale, scilicet animam bene ornatam. Secundum est persona, ut Dauid significat hominem iustum, sicut patet ex sui nominis interpretacione: interpretatur enim pulcher facie et fortis manibus. Locus est eciam ad idem, nam mons significat perfeccionem iusticie et uite. Factum, ut immolacio Abrahe de Isaac filio suo, significat quod quilibet debet Deo immolare quod carius habet. Numerus

<sup>q</sup> circa ... quod om AC

<sup>r</sup> quere primo] uide A

<sup>s</sup> siue amor om A

<sup>t</sup> si ... poteris add BC

<sup>u</sup> significacionem] figuracionem A

eciam est significatiuus, ut binarius caritatem, quaternarius firmitatem et septenarius uniuersitatem. Vox eciam significat cuius significatum potest haberi per sui deffinitionem et per sui nominis interpretacionem. Tempus eciam significat, ut dies gratiam et nox peccatum.

Tercia regula est ista: Si ordinate uis procedere in predicando et cito habere copiosam materiam, recurre ad sequentem dilatacionem que fit per quinque puncta sequencia. Si uis enim probare aliquid, ut quod parentes sint honorandi, statim prompte adducas probaciones et ordina eas ordine sequenti: Adduc igitur ad propositum primo auctoritatem Bible unam uel plures, uocales uel reales; melius est tamen reales et minus curiosum et utilius auditoribus; similiter possunt adduci figure sacre Scripture et exponi ad propositum; secundo originalia sanctorum; tercio rationem naturalem siue experiencias communiter usitatas; quarto exempla sensibilia rerum apparencium, animalium siue aliorum, approbata; quinto historias certas et facta approbata precedencium de quibus dicit Gregorius<sup>8</sup> quod "plus mouent exempla quam uerba"; et hec dilatacio sufficit pro omni theologo. Predicadores autem multi huius temporis initentes<sup>v</sup>, peregrinis doctrinis et *semper addiscentes et nunquam ad ueritatem peruenientes*, uere doctrine adinuenerunt dilataciones alte trufaticas, ultra premissas. Nam aliqui se dilatant per canones et per leges, que omnia sunt imperitencia predicatori euangelico et multum uana ad allegandum. Alii se dilatant per dicta philosophorum; et ubi proferantur eorum moralia et non inutilia, non improbamus<sup>x</sup>. Alii per poetica et ficta; et has fabulas detestamur, ne auditores nostri fiant de illis contra quos Apostolus dicit: *Ad fabulas autem conuertuntur*. Alii per propheticas nouas, et hoc est temerarium, nam dubitamur, et ideo non debent proponi publice populo propter reuerenciam diuini uerbi etc. Alii per consuetudines et per mores approbatos gencium; et hoc non est malum nisi alia premissa meliora superius non suffragentur.

Quarta regula est hec: In omni proposito, si uis ordinate inuenire materiam, cogita illi antecedens unde sequitur aut committatur, quibus connectitur et conclusio<sup>y</sup> que inde sequitur, uerbi gracia: si uis discutere hoc uerbum: *Beatus uir qui non abiit in consilio impiorum* cogita primo unde sequitur talis quod sit *beatus*, et uidebis quod ex omnibus istis antecedentibus<sup>z</sup>: primo quia nullus talis *qui non abiit in consilio impiorum* non est peccator et per consequens est *beatus*; secundo quia

<sup>8</sup> *Dialog.* I, pral.: PL, 77, 153.

<sup>v</sup> innitentes] intendentis A

<sup>x</sup> non improbamus] approbamus A

<sup>y</sup> conclusio] consecuencia A

<sup>z</sup> antecedentibus] annexibus A

nullus talis oditur a Deo et per consequens est *beatus*<sup>a</sup> beatitudine ista que est in uia; tercio quia omnis talis est in caritate et per consequens est *beatus*; quarto quia omni tali est promissa beatitudo eterna, et per consequens est *beatus* et de infinitis aliis antecedentibus<sup>b</sup>. Quibus discussis, uide concomitanciam. Que enim concomittantur istum uirum? Certe hec: primo quod talis odit malos; secundo quod iste talis curat de anima sua; tercio quod iste talis placet Deo; quarto, quod talis implet mandata. Tercio uidendum que sequuntur: primo, certe quod si talis perseuerauerit, saluabitur; secundo, quod talis erit magnus apud Deum respectu aliorum; tercio, quod talis placet angelis Dei; quarto quod talis est prudens et iustus in factis suis, quia *non abiit in consilio impiorum*.

Quinta regula est hec: Si uis inuenire prompte materiam ad predicandum siue dilatare habitam<sup>c</sup>, recurre ad opposita, uerbi gracia: uolo dilatare materiam castitatis ostendendo quod hec uirtus est maxime dignitatis; tunc debes recurrere ad impossibilia<sup>d</sup> et ad contraria eius et per maliciam oppositi commendare propositum, ut sic dicendo: Certe castitas est maxima uirtus sicut patet per oppositum, attendendo ad carnales qui sunt uilissimi et horribiles. Sunt fetentes in nomine, et hec odorifera et dans famam magnam; sunt gulosi, et hec est filia penitencie; sunt uecordes, et hec eciam mulieres facit audaces. O quam mira uirtus est castitas! Si uis eciam recurre ad omne repugnans castitati, quia per tale repugnans poteris commendare propositum modo predicto.

Sexta regula est hec: Si uis ordinate inuenire materiam predicandam, recurre ad ordines, ubi aduerte quod uolens inuestigare materiam predicabilem debes quasi in centro circuli ponere thema uel illam materiam de qua uis predicare et per girum circuli ordinare per ordinem decem precepta, articulos fidei, dona Spiritus Sancti, octo beatitudines, quinque sensus corporales, septem opera misericordie, septem uirtutes, septem uicia. Et sigillatim comparabis materiam dictam de qua uis predicare alicui distincioni de predictis per ordinem secundum concordanciam et repugnanciam, uel secundum aliquam pertinentiam que tibi occurrerit donec habeas satis ad predicandum. Sub hac regula eciam comprehenditur totus ordo predicamentalis; unde si super<sup>e</sup> proposita materia uel themate queras sub ordine predicamentali de tuo proposito, quid est, quantum, quale, cuius, ubi, quando etc.

<sup>a</sup> est *beatus om A*

<sup>b</sup> antecedentibus] accidentibus *A*

<sup>c</sup> habitam] ipsam *A*

<sup>d</sup> impossibilia] impossibilia *A*

<sup>e</sup> super] supra *A*

multa materia tibi occurreret. Sub hac eciam regula cadit totus ordo locorum logicalium, quorum ordine si procedas ad querendum de proposito tuo, statim tibi occurrent motiua infinita; et utiliter omnis ordo disponens ingenium nostrum ad inueniendum motiua circa propositum tuum, cadit sub ista regula.

Septima regula, que magis est necessaria et antiquorum consilium, est ista: Quod uolens habere materiam prompte in omni facultate, homo debet recurrere primo ad oracionem que secundum Augustinum reuelat dubia melius quam studium; secundo, ad humilem interrogacionem, ut interroget peritum, quia humilitatis merito sibi dabitur quod petit; tercio ad disputacionem, que disputacio facit inardescere interiora supra hiis que dubitat et aperit intellectum ad alcuis uidendum; tum quia alius uero aperit super hiis que dubitat multa respondendo uel arguendo que tunc tibi ministrabunt quod uolebas; quarto, ad exercitacionem que secundum Isaiam dat intellectum, scilicet studendo frequenter et feruenter, uel exequendo actum qui exercere habet intellectum et uires omnes hominis tocius; quinto ad liberalem comunicacionem; unde qui liberaliter alicui communicat sermones suos et nichil sibi retinet eorum propter zelum caritatis, talem Deus nunquam dimittit quin tempore opportuno habeat abundanter materiam ad loquendum, dicente Domino: *Date et dabitur uobis*. Nota<sup>f</sup> hic eciam quod quodlibet predictorum conferencium dilatacionem uerbi potest dilatari per conclusiones, correspondentes instrucciones, interpretaciones, suassiones, distinciones, diuisiones, promissiones et comminaciones.

Octaua regula est recurrere statim ad causas, ut si uis predicare de uirtute, uel de peccato, uel de pena, uel de gloria, que sunt quatuor materie de quibus semper debet fieri predicacio directe uel indirecte, subito recurrendum est ad causas, uidelicet ad efficientem, finalem, materialem, uel ad formalem, uerbi gracia: si uolo loqui de fide debeo subito conuertere intellectum ad causam efficientem fidei que est Deus, et ad causam finalem quare nobis data est fides, et ad materialem quid est fides, et ad formalem quomodo procedit fides.

Nona regula: Si subito habes predicare, discurras per partes euangelii uel epistole, uel utriusque, quia ibi est satis materia ad subito predicandum, quantumcumque predicator sit ignorans.

Decima regula ad prompte exponendum unum psalmum Psalterii uel partem eius. Et primo habeas in mente et preuideas qui psalmi sunt magis morales et non potes defficere, premissa recursu ad gratiam Spiritus Sancti et ad oracionem, semper cum recta intencione,

<sup>f</sup> Nota ... coram populo suo. om AC



uidelicet quod predicando intendas Dei honorem et tibi meretur a proposito proficere; et per hoc ora frequenter ad Deum, et in hoc habeas aduocatum semper aliquem sanctum; et summe caue ne deues a tribus predictis, ut ab omni trufa uel risu te omnino preserues in omni tuo sermone et habeas pro certo quod qui ad trufas uel fabulas se conuertunt predicando, quod Deus tandem reddit eos contemptibiles et miserabiles coram populo suo.

*Secunda species ordinis in qua tractatur de materia que iuuat memoriam etc.*

Consequenter dicendum est de secunda specie ordinis, scilicet de illa que iuuat memoriam. Ubi nota primo quod memoria nostra aut habet fieri super nomina siue super uocabula, aut super res significatas. Si super nomina, tunc est difficile recordari, eo quod tunc circa quodlibet uocabulum habet imaginari similitudinem aliquam uel figuram. Quando autem habemus recordari res, tunc una sola similitudo uel figura significabit nobis unam magnam historiam, sicut crux Christi significat nobis totam seriem<sup>g</sup> passionis Christi; et imago regis cum lancea, significabit nobis triumphum talis belli et sic de aliis. De utraque autem specie memorandi posuit in simile Aristoteles documentum tale in libro *De memoria et reminiscencia*, uidelicet quod omnis res memoranda frequenter consequitur, id est quod sepe ueniat ante sensum ut coram oculis, siue ad auditum, siue ad tactum, uel secundum quod fuerit sensanda ab uno sensu uel diuersis. Nota tamen hic quod licet hec ualeat ad memorandum, non tamen nisi in tali sensatione percipiatur in re sensanda alius ordo; ubi tamen est multitudo memorabilium difficile est retinere. Ideo a modernis datur hic talis regula in speciali pro memoria nominum: Quod si multitudinem nominum habes recordari, ordina illa in aliqua uia longa sub<sup>h</sup> similitudine aliqua in eadem uia ordinate sua, uerbi gracia: Ponatur quod habeas recordari nomina apostolorum; cogita aliquam uiam tibi notam, in cuius principio est unus lapis magnus, qui lapis representabit tibi Petrum qui dicitur a petra; secundo cogitabis in aliqua uilla conuenienter se habens ad dictum lapidem, duos se osculantes qui simul representabunt tibi Paulum qui significatur per pacem quam tibi representant illi duo se osculantes; tercio, conuenienter pones ad competentem distanciam agnum magnum qui signet tibi Andream, quia ista duo uocabula incipiunt ab eadem sillaba; uel si tibi aliud occur-

<sup>g</sup> seriem] speciem A

<sup>h</sup> sub ... notam om AC

rerit magis idoneum memorando Andream, illud pone in tercio loco, ut barcham et rethe quia fuit piscator, uel antenam magnam quia fuit suspensus in cruce etc., et sic procedas de aliis apostolis et de quibuscumque uolueris in complexis nominibus recordari.

Secundo, nota hic quod sub isto membro<sup>1</sup> nominum incomplexorum poteris comprehendere nomina numeralia, ut si tibi proferatur magna multitudo nominum et queratur a te sub quo numero fuit prolatum tale nomen, an in .viii<sup>o</sup>. loco uel in .x<sup>o</sup>., uel in .xviii<sup>o</sup>., uel in .xx<sup>o</sup>., ad hoc ut sis promptus ad respondendum utaris hac arte: Fac tibi unum ordinem locorum tibi notissimum, sicut dictum est superius, et ordinate colloca per imaginacionem in illa serie numeros, incipiendo ab uno usque ad quem terminum numerum uolueris, ita quod siue illa loca proferantur ordine retrogrado siue interrupto, sine ordine, scias statim ad prolacionem nominis cuiuslibet illorum locorum indicare nomen pro quo stat et recordari de eo. Et tunc si queratur a te in quo loco positum est tale nomen quod dixi, recordando de loco ubi collocasti illud nomen, recordaberis de numero quem tibi ille locus representat. Hoc autem difficile est aliquialiter, tamen postea habet magnum fructum et sine labore potest haberi prompte multa nomina et numeros eorum. Ideo dixit Tullius in sua *Arte memorandi* quod oportet bene artificialiter memoratum esse ingeniosum et capacem<sup>k</sup>; et hoc maxime ut locorum copiam inuenire sciat et bene ordinare, et similitudinem prompte inuenire inter locum et rem quam memorandum proponit. Vidi quod cum aliquis uolebat numeros siue res memoratas recordari sub proprio nomine, hac utebatur arte: Ffaciebat enim unam ordinatam seriem rerum quarum quelibet ex suo nomine indicabat certum numerum, et tunc aduertendo ad rem illam, statim habebat numerum in mente, uerbi gracia: ipse imaginabatur lineam rectam a firmamento usque ad terram, et in prima parte huius linee ponebat firmamentum quod stabat pro uno, quia est solum unum; in secunda parte huius linee ponebat luminaria, solem et lunam, pro numero dualitatis, ideo ista duo predicta luminaria representabant sibi duo; in tercia parte ponebat tria elementa scilicet ignem, aerem et aquam pro numero ternario; in quarta parte ponebat quatuor partes orbis, scilicet occidentem, orientem, austrum et septentrionem; in quinta parte ponebat unam manum representantem sibi quinarium numerum et sic consequenter. Ex quibus docemur qualiter in presenti proposito dirigamur.

Memorare autem res significatas per nomina potest quis faciliter

<sup>1</sup> membro] numero A

<sup>k</sup> et capacem om AB

accipiendo hoc pro fundamento ut semper ordinet memoranda<sup>1</sup>, in aliquo ordine rerum concordantium cum rebus memorandis. Sciendum autem quod tales ordines possumus faciliter accipere in multis. Et primo in magnis uis et itineribus notis; secundo in rebus rectis et ordinate situatis; tercio in domibus magnis ornatis et latis; quarto in corpore humano et in membris ordinatis; quinto in libro proprio in quo studere habes plures diuersitates<sup>m</sup>; sexto in commixtione ex precedentibus et rebus bene ligatis; septimo in sillabarum coniunccione, in dictionibus et uocabulis formatis; octauo, quando finalis terminacio dat principium post et consequenter notatis. De primo, scilicet, de uis et itineribus. Et primo cogitabo igitur rectum iter a Roma usque ad Sanctum Iacobum et cogitabo secundo duas ciuitates notabiles in medio et magis famosas, quia res quando est magis sensibilis et notabilis, tanto cicius et forcius imprimitur memorie; et cogitabo tercio eas dissimiles in suis proprietatibus, quia similitudo et coincidencia in proprietatibus turbat multum memoriam, sicut patet cum repentinis uersibus qui coincidunt in eisdem uocabulis; et cogitabo quarto eas equidistantes; et cogitabo quinto ordinem dare ciuitatibus in suis sitibus ut sunt iste: Roma, Florencia, Ianua, Auinio, Barchinona, Cessar Augusta, Toletum et Sanctus Iacobus sub una linea recta. Ponatur igitur, quod habeam memorari octo materias, uidelicet loqui de clericis, de peccunia, de mercatoribus, de ponte magno, de burgensibus, de oleo, de militibus et de apostolis. Ponam igitur primo Rome materiam de clericis, Roma enim est ciuitas clericorum et caput spirituale eorum et generale tocius mundi. Secundo in Florencia ponam peccuniam illam per imaginacionem, de qua debeo loqui, quia Florencia est locus famosus pecuniarum. Tercio ponam Ianue materiam mercatorum, quia ibi habitant multi mercatores. Quarto, ponam in Auenione materiam magni pontis, quia de facto ibi est pons famosior qui sit in christianitate. Quinto ponam Barchinone burgenses, quia ibi habent burgenses magna hospicia et magna munia ut recte uideantur magni. Sexto, ponam CessarAuguste oleum, quia ibi fit multum. Septimo ponam Toleti materiam militum, quia ibi habitant multi milites. Octauo et ultimo ponam in Sancto Iacobo materiam apostolorum, quia est locus ut ex corpore et ex nomine sancti Iacobi apostoli qui ducit nos in memoriam apostolorum. Et tunc in thema currente recte per istam lineam imaginariam recordabitur de materiis ibi positis, nedum recordando eas recte incipiendo a Roma, imo e contrario incipiendo a Sancto Iacobo et proseguendo usque ad Romam ordine retrogrado.

<sup>1</sup> memoranda ... ordine om A

<sup>m</sup> studere ... diuersitates] studemus A

Sicut dictum est de uia et itinere, sic etiam potest fieri in rebus recte ordinatis et extra uias, sicut secundo dicebatur, uerbi gracia: incipias cogitare in celo empireo et descendas ordinate per omnes speras medias usque ad centrum terre; in quolibet celo intermedio potes collocare aliud memorabile, sicut prius dictum est de ciuitatibus et uillis.

Tercio patet de ciuitatibus, domibus et uillis; unde si uis plura memorare, cogita diuersas partes ciuitatis uel uille tibi notas, et per rectas lineas et continuos uicos procedas ponendo memorialia in locis notabilibus. Sic potes idem facere de una magna ecclesia, ut consideres loca eius notabilia et capellas secundum situs et picturas et distancias et inuocaciones earum et cuilibet applicare tuum memoriale, secundum aliquam similitudinem. Et sic discurrendo postea per dicta loca, potes optime recordari de ibi collocatis, ut si habeas loqui de sancta Trinitate colloca istam materiam in altari maiori, sicut Trinitas est magnum quid inter omnia; si de puritate ponas hec per imaginationem in altari beate Virginis; si de contemplacione, in altari Sancti Ioannis et sic de ceteris memorabilibus in suis certis locis et concordantibus cum eis in aliqua similitudine sicut modo fuit expressum, et sic poteris memorare.

Quarto, patet idem in corpore humano, incipiendo a pedibus usque ad crines uel e conuerso: pedes enim possunt significare <sup>n</sup> tibi rusticos uel fundamenta domus, sicut ipsi pedes sustinent totum hominem et rustici rem publicam in labore suo sicut etiam pedes eorum plus laborant in corpore humano; et tibie et crura burgenses qui sunt immediate super rusticos; uenter, recipientes pecunias rei publice, sicut uenter omnia continet et recipit; brachia, milites, quia milites laborant brachiis bellando; lingua, iurisperitos quibus datur loqui; oculi, sapientes, quia intendunt et uident dampnum uel utilitatem rei publice; aures, procuratores, quia omnia habent audire; caput, regem quia est caput et principalis in re publica, sicut caput in corpore nostro et sic de ceteris.

Quinto, potes idem ordinare in libro proprio in quo studes, cogitando quod talis sententia est in tali parte libri et talis in tali, et talis a dextris primi folii et alia a sinistris; et talis sententia habetur paragraphum in principio et talis habet talem litteram capitalem uel crucem iuxta se uel signum tale, uel tale et sic de ceteris.

Sexto, quando [in] rebus subito memorandis non occurrat aliquis ordo qui per rectum ordinem deducat ad memoriam proposita nostra, tunc sunt ordines miscendi, quia accipiam ad memorandum partem de

<sup>n</sup> significare] certificare A

ordine prius dicto et partem de secundo et sic procedendo de aliis. Et uniuersaliter hoc habeas pro regula generali, quod ubicumque intellectus non potest inuenire ordinem, ibi habeas fundamentum memorandi, quia ordo rerum tibi notus est magister memorie tue. Et quia infinitis modis intellectus potest sibi fingere ordines, ideo infinitis modis potest tibi occurrere materia memorandi, quod etiam supra, precedenti capitulo, diximus de ordine inuenire potest multum iuuare memoriam ratione ordinis connexi, sicut est ordo causarum principalium et ordo predicamentorum, et sic de aliis ordinibus supradictis. Sciendum etiam quod illud quod dictum est de rebus, potest iuuare ad recordandum materias uerbales, ut si uis recordari de titulis *Decretalium* uel *Iuris* uel quarumcumque materiarum ibi contentarum, facias modo dicto, procedendo per titulos ordinate applicatos ad loca aliqua de memoratis.

Nota quod Tullius et multi alii, uolentes iuuare artificialiter memoriam, inuenerunt super locis predictis deberi fingi imagines memorabilium et commendare eas locis. Tamen quia hic habet longum tractatum de difficultate atque magnitudine in recordacione quia imaginum sic rerum collocatarum in eis, ideo modum istum non approbant moderni huius temporis sed, magis expeditum et facilem estimantes illum quem statim diximus et premissimus, ad istum se conuertunt, antiquo pretermisso. Ideo de isto premissis nouo modo solum curauimus hic loqui.

Septimo, quando ex sillabis formatur una diccio uel unum uocabulum, quarum sillabarum quelibet est memorabile alicuius memorabilis in sillaba collocati, uerbi gracia: uolo recordari de ° aliquibus nominibus hominum, collocabo eos in aliquibus sillabis ex quibus conficiam unam diccionem, uerbi gracia: uolo recordari de quodam uocato Aurelius, et de alio uocato Ximus, et de tertio nominato Linus, et de alio dicto Arnaldus, et de alio dicto Torquatus; ex primis sillabis predictorum nominum conficiam istam diccionem: Auxiliator. Sic quod prima sillaba que est Au representabit michi Aurelium; et secunda que est Xi, Ximum; et tertia que est Li, representabit michi Linum; et quarta que est A, representabit michi<sup>p</sup> Arnaldum; et quinta que est Tor, representabit michi<sup>p</sup> Torquatum. Similiter potest hec regula applicari ad quecumque negocia uolueris, quia per sillabam poteris recordari de nomine unius negocii et maxime cum hoc ruminaueris aliquibus uicibus et cetera.

Octauo, memorantur aliqua per connexionem dictorum, ut si aliqua

° de aliquibus ... quodam om AC

p representabit michi om AC

negocia habeant referri, facias quod finis precedentis uerbi sit principium sequentis, et sic unum precedens introducet te ad sequentia, uerbi gracia: ponatur quod habeas refferre quinque materias scilicet, de celo, de igne, de aëre, de aqua et de terra, et dicas sic: primo loquendum est de celo et ostendendum quod est materie ignite; ignis secundo est discuciendum quia situatur prope aërem; de<sup>q</sup> aëre tercio est dicendum qui uaporosus est et habet aliquas condiciones aque; aqua quarto est frigida in se et racione ipsius que sibi coniungitur terre; terra quinto est solida in medio distans equaliter a predictis. Ecce quomodo finis precedentis dicti introducit ad secundum et docet sic memorare illud de quo statim est loquendum.

Nono, iuuatur memoria per recordacionem situs dictorum<sup>r</sup>, secundum ordinacionem uisam in libro seu exemplari ubi studuerint rem recordabilem. Ideo antiqui seruabant talem modum, sicut et hodie multi seruant: quod semper in libro ubi studebant sermonem suum siue aliquam rem recordabilem ordinabant dicto ordine secundum lineam rectam ubi sententia uel pars notabilis finem capiebant; faciebant aliquod notabile paragrafum uel aliud notabile signum de incausto in margine, et illa signa et sic signata sibi fortiter imprimentes, eciam quando illa refferbant predicando quasi legentes in libro refferbant attendentes ad notabilia signa que in libro impresserant, per que deducebantur ad memorandum sententiam ibi repositam. Hinc est quod in ordine sermonum ponendorum hic inferius hoc uolo obseruare, quantum in me est, quod a reportatoribus et scriptoribus cupio obseruari, uidelicet quod lineas quas feci ad melius memorandum ordinem positum ibi dicendorum eciam faciant et rescribant in suis quaternis ad succurrendum labilitati memorie eorum qui habent populo predicare. Imo<sup>s</sup> est attendendum quod cum artificialis uia ad memorandum sit applicacio dicendorum uel memorandorum ad aliquem ordinem, possunt applicari memoranda ad ordinem causarum quatuor scilicet efficientis, finalis, formalis et materialis; uel ad ordinem locorum logicalium uel materierum propositarum, siue ad quoscumque res ubi reperitur ordo. Est uerum quod per predicta aliqui iuuant memoriam medicinis de quibus consulendi sunt periti et bene sensati medici. Alii autem recurrunt continue ad deuotam oracionem. Et istud est christianum remedium et omnibus aliis remediis preferendum.

<sup>q</sup> de aëre ... dicendum *om AC*

<sup>r</sup> dictorum] dicendorum *A*

<sup>s</sup> Imo ... sermonem *om AC*

*De tertia parte et specie ordinis que habet studium adiuuare et linguam.*

Sequitur de tertia specie ordinis que habet studium adiuuare et linguam, proferendo ordinate sermonem. Et hec species docet componere sermonem et uerba predicanda in aliquo certo ordine ad quem intellectum aduertens seriose, quasi legens in libro, dum predicat memoret et memorando proferat diserte et distincte quod habet dicere, et sic excludatur a predicante omnis inuolucio uerbalis et turbacio mentis. Hec autem species ordinis subdiuiditur in tot modos quot predicatorum inuenerunt in ordinando sermones.

Aliqui enim ordinant sermones per modum aliquarum contemplationum positarum in aliquo ordine de premissis, sic quod totus sermo istorum stat discutere aliquam materiam sub certis punctis. Alii secundi per modum questionum procedunt, primo proponendo iuxta materiam thematis aliquam materiam sub aliquo titulo quesitio et postea arguunt ad partes et consequenter <sup>t</sup> ponunt questiones suas et correlaria, et ultimo respondent ad rationes factas in contrarium. Alii et tercii sunt, exponunt precise euangelium priusquam dixerint historiam, et ipsum diuidunt per aliqua certa puncta. Que quidem diuisio ex quo stat subiecto ordine, iuuat memoriam multum. Et ideo moderni talibus diuisionibus utuntur que bone sunt eo quod non sunt tediose et iuuant predicantem ad memorandum. Antiqui autem doctores in suis predicationibus non utebantur talibus diuisionibus eo quod tanquam imbuti Spiritu Sancto totaliter se conuertebant ad uerba supernalia sine aliquo ordine nobis noto prolata propter quod super serie euangeliorum uel alicuius textus Bible quem exponebant, sicut in eorum homeliis quotidie experimur. Et modus tamen predictus scilicet diuidendi euangelium uel notandi ibi aliqua puncta seriose et per ordinem, est modus ualde expeditus ad predicandum subito et ex improuiso. Raro enim est quod quilibet eciam modicum sciens, non habeat aliquid ad dicendum super uno puncto solo et quin sibi occurrat aliquid predicabile. Ideo si multa puncta sunt diuidenda, tangat predicator quantumcumque modicum dicat super quolibet, tamen in fine satis dixerit. Alii et quarti sunt, qui exponunt epistolam uel unam figuram statim in principio sine omni aliquo apparatu introductionis uel diuisionis. Et istum modum uidebatur tenuisse Christum quantum possumus in euangeliis uidere. Ibi enim uidemus quod proponebat parabolam et postea eam breuiter exponebat, sicut patet Luce .iiii<sup>o</sup>. in parabola de semine et in

<sup>t</sup> consequenter] contraria A

diuresis aliis locis. Potest idem coniecturari, et credo quod apostoli eius discipuli, ipsum cupientes quantum decens erat imitari, sic predicabant. Et utinam tanta uirtus Dei esset in modernis predicantibus quod, forma obmissa predicandi, omni curiositate resecata, exemplo Christi et sanctorum apostolorum, solum super textum Scripture aliquid salutis proponerent in uigore Spiritus Sancti, plus attendentes ad salutem populi quam ad sapientiam et curiositatem uerbi. Quamquidem curiositatem Christi predicator ante debet totaliter euacuare, contempnere et horrere propter accionem spiritualis uirtutis clausam infra Scripturam Sacram quam discutit et ostendit Apostolus, *Prima ad Corintios* primo et sic in processu suo ibidem.

Moderni autem curiosius procedunt communiter quam aliqui predicatorum; ipsi enim suas predicaciones communiter diuidunt in tres partes: prima uocatur introduccio, secunda dicitur thematis introduccio<sup>u</sup>, tertia appellatur distincio et prosecutio. Iste autem modus inuentus est ad habendum et ad inueniendum copiam materie ad predicandum; unde quanto predicator pluribus modis se diffundit super suo themate, tanto occurrunt sibi plures materie ad predicandum. Secundo uidelicet iste modus inuentus est ad iuuandum memoriam predicantis propter ordinem quem habet ualde gratum, qui si sit usitatus ualde confert ad memorandum apcius in omni sermone. Tercio uidelicet ad hoc, quia modus iste facit hominem disertum, quia sic predicans semper potest uidere per consideracionem dictarum trium parcium que dixit et que habet dicere, et per hoc potest uidere si sit festinandum aut si sit spaciosius loquendum; et hoc attendendo ad illa que sunt adhuc dicenda uel ad ea que sunt dicta.

*De introduccione*<sup>v</sup>: Circa igitur primam partem que dicitur introduccio, nota sequencia puncta. Primum est quod semper in omni predicacione debet accipi thema de sacro canone Biblie, uel de euangelio uel de epistola illius diei, si predices de dominica; si de sancto aliquo uel de sancta, potes thema accipere de quacumque parte Biblite uolueris. Et tamen moderni ex curiositate quadam uidelicet et ex quadam congruencia, communiter predicando de sancto aliquo uel de sancta accipiunt thema de euangelio uel epistola propria si dictus sanctus uel sancta habet; si autem non habent, accipiatur thema de euangelio uel de epistola dominice concurrentis, scilicet, infra quod tale festum celebrabitur siue infra octaua talium sanctorum. Similiter in collacionibus mortuorum quia in omni actu requirente predicacionem, consueuerunt

<sup>u</sup> introduccio] diuisio A

<sup>v</sup> de introduccione om AC



hoc nostro tempore curiosi accipere thema de dominica concurrente. In collacionibus autem scolasticis, semper accipere thema de epistola de dominica in qua predicatur, ut de euangelio uel epistola. Ista tamen magis sunt curiosa quam necessaria; tamen modus scolasticus debet scolasticis seruari propter reuerenciam precedencium qui sic stauerunt; et ne quilibet presumat in suo sensu habundare et differre tempus per multa uerba peregrina ubi forma est iam certa sibi data, sicut data est omnibus scolasticis per communem usum faciendi collaciones in studiis theologie. Ideo nota quod incoato themate, debet cotari, et cotato statim breuissime introducendum est *Aue Maria*, sic quod eius introductio non sit prolixior ad minus quam unius *Pater noster*; sed sufficit sic uel equiualemter dicere: Ut ad gloriam Dei et ad utilitatem animarum nostrarum possim uobis aliqua proponere, supplicemus beatam Virginem ut dignetur pro uobis et pro me intercedere ad suum Filium dilectum; ideo in principio nostri sermonis presentemus sibi: *Aue Maria*. Notandum est autem quod *Aue Maria* semper dicitur in omni sermone et collacione facta in ecclesia, non tamen dicitur in collacionibus scolasticis. Est autem aduertendum quod li *Aue Maria* in quibusdam patriis dicitur submisse et in quibusdam alte; ideo semper teneatur modus patrie in qua predicatur.

*De introduccione<sup>x</sup> thematis que est secunda pars.* De introduccione igitur thematis multiformi est hic breuiter aliquid tangendum. Intratur autem ad thema siue concluditur siue adducitur ad propositum multis modis. Primus modus est per conclusionem<sup>y</sup>, ut cum proponitur aliqua questio pro cuius solucione ponitur aliqua propositio responsiua<sup>a</sup> ad questionem, uerbi gracia: sit istud thema: *Primum querite regnum Dei*; et sic hec questio: utrum sit aliquid quod homines primo debeant querere in hac uita. Et arguo ad partes ponatur pro prima questione hec propositio quod que meliora sunt in se, a nobis inquerenda sunt primo. Statim hec propositio infert et concludit thema scilicet quod primo querendum est regnum Dei. Et hoc patet quia ipsum est optimum in se et nobis. Si autem post primam propositioem positam<sup>b</sup> pro conclusione, propositioem fuisset positam secundam que esset ista: quod regnum Dei est optimum in se et nobis, statim directe quasi conclusio sillogismi fuisset thema illatum ex dictis duabus propositioibus quod ex una tantum propositioe sic inferri non potest directe et clare.

<sup>x</sup> De introduccione ... tangendum om AC

<sup>y</sup> conclusionem] questionem A

<sup>a</sup> responsiua] diuisiua A

<sup>b</sup> positam ... silligismi om AC

Secundus modus est per distinccionem in qua semper pars ultima concludit thema, uerbi gracia sit istud thema: *Regnum Dei intra uos est*. Et fiat talis distinccio trimembris: Deus sua bonitate disposuit intra nos tria notabilia, scilicet, primo animam cum suis potenciis; secundo uirtutes et gloriam cum suis bonis meritis; premium tercio et gloriam cum suis fiduciis. Et hoc tertium tangit thema. Hec autem distinccio potest fieri bimembris uel quadrimembris, sicut placeat predicanti; tamen quanto est breuior, tanto melior.

Tertius modus est per auctoritatem, cuius finis tangit materiam thematis, uerbi gracia sit hoc thema, gracia exempli: *Prope est Dominus omnibus timentibus eum*. Ad inducendum hoc thema, potest accipi illud dictum Isaie lv<sup>o</sup>: *Querite Dominum dum inueniri potest; inuocate eum dum prope est*, ut sic adaptetur dicta auctoritas ad propositum. Vide quoniam thema inductum proponit quod Dominus est prope, ideo Dominus docet per Isaiam qualiter sentitur eius propinquitas dicens quod si uis eum inuenire, oportet quod primo queratur, secundo quod uocetur. Queratur corde deuoto et contrito et timoroso, et inuocetur oracione efficaci, quia ex hiis fit Dominus prope timentibus se, ut dicit thema.

Quartus modus est per originale, ut si accipias thema de aliqua materia, debes tunc de eadem materia accipere tale originale ex quo excludatur thema, uerbi gracia: *Hora est iam nos de sompno surgere*; et accipias hoc pro originali ut si dicat Augustinus: "Omni tempore timendum est diuinum iudicium, ne iacentes nos inueniat ipse qui semper ad surgendum et ad laborandum nos uocat." Hec ille. Ex isto originali sequitur manifeste quod hora est iam nos de sompno surgere.

Quintus modus est per rationes naturales concludere et inferre thema, uerbi gracia: sit illud thema, gracia exempli: *Expurgate uetus fermentum*; dicam sic: Propositum thema suadet nobis omnino resignare<sup>c</sup> peccatum; et merito quoniam peccatum est Deo odiosum et inimicum, ut dicunt sancti et Scriptura sacra, pro eo quia est contra eius mandata et sacras leges; et peccatum est sanctis contumeliosum eo quod sit contra rationem sanctitatis et perfeccionis uite; peccatum est nobis onerosum quia omnia que patimur, pro peccatis patimur semper; peccatum est diabolis acceptum quia illis placet quicquid est malum. Ex quibus rationibus apparet<sup>d</sup> ueritas et sanctitas consilii dati nobis in themate suadente et proponente nobis uitare peccatum, dicente: *Expurgate uetus fermentum*.

<sup>c</sup> resignare] refugere A

<sup>d</sup> apparet ... nobis om AC

Sextus modus est per historiam que adducit in se thema, ut si predicem de isto themate: *Vade retro Sathana*, dicam: Quomodo Petrus suadebat Christo ne moreretur et Christus dixit sibi uerbum thematis... Similiter de isto: *Ffilia, fides tua te saluam fecit*, dicam quod quedam mulier paciens fluxum sanguinis, confidens de Christi bonitate et uirtute accessit ad eum tangendo retro illum et curata est; cui Christus: *Ffilia, fides tua etc.*

Septimus modus est per enthimema seu per consequenciam, ut si concludam hoc thema: *Verbum caro factum est* dicam sic: Deus promisit, predixit, reuelauit et statuit Verbum suum tali tempore preterito incarnandum; igitur *Verbum caro factum est*. In hoc processu requiritur quod quelibet pars antecedentis probetur et consequenciam probare non oportet quia est euidens, nec populus capit quid est consequencia.

Octauus modus per pictum seu fictum syllogismum, et est quando ad concludendum thema accipiuntur pro abundantia materie tres propositiones inferentes thema. Et dicitur pictus syllogismus quia talis processus assimilatur syllogismo inferenti consequenciam ex premissis; tamen secundum rei ueritatem, non est syllogismus, quia ad syllogismum sufficiunt due propositiones tantum et requiruntur, quarum una uel ambe sint affirmatiue uel altera negatiua uel in certa figura et modo quorum nullum reperitur in tali serie proposicionum pro introductione adductarum. Verbi gracia: ponatur quod habeam introducere illud thema: *Estote misericordes*. Dicam primo quod misericordia est uirtus nobis necessaria ad saluandum; secundo dicam quod crudelitas deiecit multos et irruit<sup>e</sup> ad infernum; tercio dicam quod sancti propter hoc induxerunt nos semper ad miserandum, sicut dicit thema. Vides quod hic in ista serie proposicionum nulla seruatur uia syllogistica, licet modus concludendi assimiletur in aliquo syllogismo eo quod habet premissas aliquas existentes<sup>f</sup> uel apparentes ad concludendum thema, sicut syllogismus ad concludendum conclusionem suam.

Nonus modus est per thematis solutionem, unde cum thema adducitur tanquam soluens plura dubia proposita, uerbi gracia: ponatur quod aliquis habeat predicare de sancto Michael et ponas pro themate: *Michael et angeli eius*; et proponas similiter plura dubia sicut dubium est ualde grande: Quis uicit luciferum et eius societatem? secundo<sup>g</sup>, quis direxit Sinagogam et eius sagacitatem? tercio, quis Christum consolatus est in passione per grandem pietatem? quarto, quis sit animarum susceptor et representans ad Dei maiestatem?

<sup>e</sup> irruit] inuit A, iuit B

<sup>f</sup> existente] exeuntes A

<sup>g</sup> secundo ... tercio om AC

Ad istas omnes questiones et dubia soluit thema et dicit: *Michael et angeli eius*. Et sic conclusio declarat quomodo Michael et angeli eius fecerunt illa quatuor. Quibus dictis concludit sic: *Michael et angeli eius*.

Decimus modus est per syllogismum, et iste modus hodiernis temporibus est factus nimis curiosior. Nam aliquando consuevit super thema concludendo accipi una maior et alia minor et sic concludebatur thema. Modo autem aliqui moderni faciunt maiorem compositam ex pluribus partibus et minorem consequenter<sup>h</sup> ex totidem<sup>i</sup> partibus et sic concludunt questionem ex plurima prolixitate. Ideo aduerte quod sufficit quod maior sit composita ex tribus membris et minor ex totidem. Verbi gracia: si concludatur hoc thema: *Ascende superius . . . et erit tibi gloria*; sufficit adducere talem syllogismum: Persona generosa in stirpe naturali; uigorosa in gradu uirtuali; graciosa in coniunctu totali, debet ut preciosa poni in principali sanctitate; sed iste sanctus fuit generosus, uigorosus, graciosus. Ergo debet assumi in sede supernali, et hoc dicit thema.

Multis aliis modis potest fieri introitus ad thema, quia tamen modo multi dimittunt tales introitus conuertentes se ad materias profunde discutiendas quantum utilis et moralis et breuis sermo tunc permittit, ideo transeamus ad secundum scilicet ad diuisiones thematum.

*De tertia parte que est de thematum diuisione*<sup>k</sup>. — Diuisio autem thematis inuenta fuit ad dandum predicatori copiam materie ad predicandum. Nam quelibet pars thematis est materia predicandi; ideo multi non habentes sufficienciam materie ad predicandum, non diuidunt thema scilicet euangelium uel epistolam totam a qua sumitur thema, et tunc habent totum euangelium uel epistolam pro materia ad predicandum. Et cum quodlibet totum sit maius sua parte, et quodlibet tale totum scilicet euangelium et epistolam contineat multa bona et moralizanda, hinc est quod tunc predicator habet sic faciendo copiosam materiam ad predicandum. Ex quo potest se diffundere per illud totum, et si id non sufficit potest adiungere unum alteri scilicet epistolam euangelio per concordanciam alicuius uerbi in quo concordant mutuo uel saltem per concordanciam materie realis; posito quod in nulla uoce concordent, nec debet predicator uerbi Dei sic meretricari uerbum Christi nec predicare seipsum, sed semper aduertat ad concordanciam uocum et ad regulas antiquas et uane [non] ac curiose artis predicandi, quia in hoc careret premio predicacionis et offenderet

<sup>h</sup> consequenter] communiter A

<sup>i</sup> ex totidem om A

<sup>k</sup> De tertia . . . diuisione om AC

Deum cuius gloriam principaliter non querit sed suam, et male hedificat intelligentes siue percipientes eum sic in concordancia uocum uanizare et curiose intendere. Quid enim est prdicacio quam deuota et pia manu-duccio peccatorum ad uiam regni Dei? Constat autem quod uia regni non est uanitas nec curiositas, sed pocius ueritas, humilitas, caritas et uirtus Dei que omnem uanitatem exsuflat a mente et animo ueri predicatoris et apostolichi uiri. Procedat igitur predicator secundum materiam sibi a Domino administratam in euangelio et in epistola, omni curiositate reiecta et tunc glorificabit Deum et animam suam ornabit meritis et proficiet audientibus eum. Et *Dominus dabit uerbum sic euangelizantibus uirtute multa*, saltem secundum quantitatem uirtutis sue. Unde Gregorius: "Etsi non aliud deberet mouere predcatorem ad minuendum<sup>l</sup> omnem curiositatem et uanitatem a uerbo Dei, hoc deberet sufficere: quia uerbum uirtuose prolatum habet notabilem effectum in auditoribus; et uanum et curiosum perdit istum sanctum fructum, et per consequens de tantis profectibus animarum est reus curiosus predicator apud Deum quot abstulit auditoribus de merito sue stulte et turpissime uanitatis." Aliqui enim sic sunt in diuisionibus thematum replicatis et magis prolongatis, rimatis, curatis et uariatis, quod magis uidentur trufatores et histriones et uerbosi burlatores quam celestes oraculi et uerbi Dei predicatorum, quos sine dubio puniet Deus acerrime in iudicio suo, quia isti sunt proprie qui ponunt et miscunt margaritas cum luto, in quorum lingua est Dei uerbum sicut sanctum in ore canum et porcorum; isti profanant sancta, quibus merito dicit Deus illud Psalmiste, xlvi<sup>o</sup>. psalmo: *Quare tu enarras iusticias meas et assumis testamentum meum per os tuum? Nonne tu es qui odisti disciplinam*, scilicet artem et modum humilem ueri predicatoris Christi et uerbi apostolorum, et sic abutendo, *proiecisti sermones meos retrorsum?* aliquando proponendo eis dicta philosophorum et poetarum et truncando illos, mutando sensus et exponendo tua uoluntate postposita<sup>m</sup> ueritate? O quam iudicium Dei et pena erit in morte imo et in uita ista contra istos qui tantum fructum perdiderunt sibi et aliis, quibus sua uanitate non utiles fuerunt, imo inutiles! Unde multi propter huiusmodi curiositates auferunt a uerbo Dei quod non auditur libenter, quia necessario sunt prolixi et ideo displicent, quia auditores contempnunt audire illa que isti dicunt eis, ommissa omni deuocione et honestate, proponendo de eis cum omni malo exemplo et edificacione pessima de sua uana curiositate etc.

Volens autem utiliter et bene uti diuisione thematis, non est neces-

<sup>l</sup> minuendum] mutandum A

<sup>m</sup> postposita] proposita A

sarium intendere rithmis nisi ex hoc iuuetur memoria. Hoc enim thema est bene diuisum sine rithmis: *Misereor super turbam*. Vide hic tria, scilicet iuuetur memorie uel alio pio motiuo, bene potest. Et nota quod talis diuisio dat materiam predicandi, ut dictum est, ut sit copiosus in omnia constitutus; tercio, quantum mundus est fallax, quia est *turba*, scilicet a turbando.

Ubi autem quis uelit eum ad rithmos deducere pia intencione ut scilicet iuuetur memorie uel alio pio motiuo, bene potest. Et nota quod talis diuisio dat materiam predicandi, ut dictum est, ut sit copiosus in sermone, quia potest sub qualibet parte thematis sic diuisi tractare materiam unam remotam ab alia discussa sub alia parte. Curiosus autem diuisores ponunt hic pro regula quod<sup>n</sup> uerba diuidencia notent proprie sententiam termini super quem cadit diuisio absque hoc quod uerbum diuidens non coincidat cum termino super quem cadit diuisio; uerbi gracia de themate primo sic diuidendo: *Misereor super turbam*; non debeo dicere: Vide misericordiam diuinam, superioritatem supernam, multitudinem turbe infirmam, quia in hiis uerbis tribus in sermo est concordancia uocalis supra quam cadit diuisio cum uerbo diuidente; ideo debeo dicere aliter: Vide hic largitatem copiosam quia *Misereor*; maiestatem gloriosam, quia *super*; dignitatem preciosam, quia *turbam*, quia<sup>o</sup> in tribus insimul est concordancia notabilis termini super quem cadit diuisio cum uerbo diuidente. Ideo debes sic aliter dicere, ut dicam; uide hic.

Secundo, in processu de quolibet istorum apponunt statim auctoritatem realem, et post li *Misereor* adducent gracia exempli illud Apostoli *Ad Romanos* .ix<sup>o</sup>. *Misereor cui miserebor*; et<sup>p</sup> habetur *Exodi* .xxxiii<sup>o</sup>. in fine capituli sic: *Misereor cui uolueris et clemens ero in quem michi placueris*; uel aliam similem auctoritatem. Deuotus autem predicator non curaret de uocalitate ubi auctoritas sibi occurreret realis, ut, gracia exempli, si adducuntur aliqua in quibus sit iste terminus *pietas* uel *operacio*, satis bene creditur; sed predicare ad propositum de predicto termino adducto, scilicet de *Misereor*; sicut et uolens probare quod Deus humilibus reuelat secreta sua, satis ad propositum esset adducere illud Psalmiste: *Declaracio sermonum tuorum illuminat et intellectum dat paruulis* licet ibi non contineatur iste terminus humilitas uel humilis sub propria uoce. Et dicitur hec concordancia realis et non uocalis.

Tercio, si copia materie non adsit, consueuerunt sub alio membro

<sup>n</sup> quod ... cadit diuisio om AC

<sup>o</sup> quia ... uide hic om AC

<sup>p</sup> et ... capituli om AC

<sup>q</sup> et ... miserebor om AC

diuisionis adducere aliam distinccionem de qua procedunt. Sic enim docet *Ars* ista, ut si sub primo membro dicte diuisionis adducerem quod Deus multipliciter nostri miseretur, quoniam aliquando dando naturalia, aliquando fortunalia, aliquando celestia; et sic procedere de istis tribus membris adductis.

Quarto, plures sub altero istorum membrorum adducunt figuram uel auctoritatem quam diuidunt et de qua diuisa procedunt, licet hoc idem posset fieri accipiendo dictam figuram sub altero membro diuisionis; quia tamen istud non multum placet<sup>r</sup> michi nec est multum utile, ideo non suadeo ut teneatur. Et sic hiis premissis transeo ad tractatum.

*De<sup>s</sup> consiliis circa predicacionem.*

Aduertendum hic tamen puto aliqua consilia que sanctus Pater abbas *E f r e m* notauit in *Doctrina* sua que est: "Quod nullus ad predicandum se ingerat nisi uocatus et rogatus, quia se ad hoc ingerere ex occulta presumptione nascitur superbia quedam sub colore proficiendi se paliat interior appetitus, cum totus tendat ad propriam laudem querendam. Ideo dicit quod tales Deus sic in fine deserit quia eos ad grandem deieccionem perducit eo quod Dei gloria neglecta et populi utilitate ad propriam anelant famam se in suo conspectu desistentes ut stulti in sua confusione digna. Nec uult Deus, ut dicit, quod tales quamlibet finaliter prosperentur nec in spiritu nec in corpore propter pessimam intencionem et superbiam suam. De hiis ponit multa exempla in utroque Testamento, qui ex sua arrogancia ingerebant se predicacioni, non missis a Deo, et ostendit qualiter a Deo sunt confusi et exterminati.

Secundum consilium, quod nullus iuuenis predicet eo quod sic exponitur predicacio scandalo et diuisioni, attendens quod Christus ad hoc suo exemplo nos instruxit, qui plenus semper sapientia et gracia potuit altissime predicare; tamen ad exemplum nostrum noluit hoc facere donec tricesimum annum impleuit. *Super .xli<sup>a</sup>. distinccione* habemus quod nullus predicare presumat nisi sacerdos uel diaconus. Item *Gregorius*: "Vitemus ne predicacio uerbi Dei et ordo docencium in Christi ecclesia confundatur ex disoluta uita predicantium qui quasi in christianitate senssetur precipuus. Nemo iuuenis triginta annis minor predicet, nam tales solent se et ea que spiritualiter administrant suis passionibus et criminibus et dissolucionibus." Hec ille. Item *Theo-*

<sup>r</sup> placet ... tractatum] dicta sufficiant ad tractatum accedamus istis penitus premissis. Deus benedictus Amen. Explicit etc. *A*

<sup>s</sup> *De consiliis* ...] d'ací al final només el ms. *B*.

filus a predicacione se excusauit. Ieremias cum a Domino mitteretur dicens: *Nescio loqui, Domine, quia puer ego sum.* Item Basiliius: "Nisi sis primo a peccatis purgatus et redolens uirtutibus, maxime karitate, humilitate, paciencia et pietate, non predices aliis, ne tibi Dominus dicat in iudicio: *Quare tu enarras iusticias meas et assumis testamentum meum per os tuum? qui odisti disciplinam et proiecisti sermones meos retrorsum?* Ideo tandem ista tua iudicium grauissimum contra faciem tuam id est contra animam tuam in fine". Hec ille. Item Rabanus *Super Leuiticum*: "Grandem dampnationem afferunt sibi prelati licenciantes contra ecclesie leges et pars sanctorum consciencias iuuenes ad predicandum qui aliud facere nequeunt, nisi quod os est dissolutiuas et iuuentutis. Lex diuina precipit iuueni tacere, audire et obedire; non predicare, nec informare, sicut nec mulieri." Hec ille.

Tercium consilium huius est hoc: Prout predicacio sit reuerencior populo Dei, caueat predicator ab omni malo exemplo, et ne sit multum familiaris eis quibus predicat quia nimia familiaritas parit contemptum.

Quartum consilium, quod predicator habeat in predicando gestus compositos, discretos, prudentes et non leues et quod caueat ab omni uerbo indiscreto, ne hac occasione predicacio contempnatur.

Quintum consilium, quod tenetur predicator fulcire suam predicacionem uita ut bene uiuat et non destruat suo infelici uiuere illud quod predicat aliis, quia tunc, secundum Apostolum, se suo ore condempnat et efficitur reprobis apud Deum, et apud homines audientes contemptibilis. Cui dicit Apostolus: *Medice primo cura teipsum.* Secundo tenetur fulcire suam predicacionem bonis exemplis et sic cauere ab omni scandalo, ne predicacio contempnatur. Tercio, studio ut sciat; debet addiscere ne dicat errorem nec mendacium, nec uerbum leue, nec temerarium, nec truphaticum, nec alicuius offensiuum, sed omnes audientes recedent hedificati et contenti. Quarto oracione; unde predicator antequam predicet debet in speciali orare, ut Deus eum preseruet ab omni errore et eum faciat loqui ad gloriam suam et ad meritum ipsius uiri predicantis et ad utilitatem populi sui. Post predicacionem debet pro eisdem orare et facere gracias omnipotenti Deo qui direxit ipsum in predicando et ad officium illud uocauit."

Et hec predicta de arte predicandi dicta sufficiant. Explicit *Ars predicandi.*

P. MARTÍ DE BARCELONA, O. M. CAP.

Barcelona.